AUTHOR:

EGGERS, H.

TITLE:

DE ORDINE ET FIGURIS VERBORUM QUIBUS...

PLACE:

LOVANII

DATE:

1877

Master Negative #

93-81605-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87HN
EZ63

Eggers, H
De ordine et figuris verborum quibus Horatius in Carminibus usus est; dissertatio philologica quam... scripsit H. Eggers... Lovanii, excudebant Vanlinthout fratres, 1877.
144 p. 21 cm.

Thesis, Louvain.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 10x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 7.22.93
INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

ORDINE ET FIGURIS

VERBORUM

QUIBUS HORATIUS IN CARMINIBUS USUS EST.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

ALEXANDRI JOSEPHI NAMÈCHE,

PRÆLATI DOMESTICI SS. D. N. PII PAPÆ IX, ECCL. METROPOL. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ORD. LEOP. BELGII DECUR.,

ET CONSENSU FACULTATIS PHILOSOPHIÆ

AD GRADUM DOCTORIS PHILOLOGIÆ ET LITERARUM IMPETRANDUM,

SCRIPSIT

H. EGGERS,

PRESBYTER MONASTERIENSIS WESTFALUS.

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

1877.

DE ORDINE ET FIGURIS VERBORUM

HORATIANIS.

DE

ORDINE ET FIGURIS

VERBORUM

QUIBUS HORATIUS IN CARMINIBUS USUS EST.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

ALEXANDRI JOSEPHI NAMÈCHE,

PRÆLATI DOMESTICI SS. D. N. PII PAPÆ IX, ECCL. METROPOL. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ORD. LEOP. BELGII DECUR.,

ET CONSENSU FACULTATIS PHILOSOPHIÆ,

AD GRADUM DOCTORIS PHILOLOGIÆ ET LITERARUM IMPETRANDUM,

SCRIPSIT

H. EGGERS,

PRESBYTER MONASTERIENSIS WESTFALUS.

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

1877.

Quum relegissem nuper quæ ante septem annos Franciscus Peters V. D. in libello, quo probationem juventutis literariam Gymnasii Monasteriensis indixit, eleganter disputavit : « Zur Wortstellung in den Oden des Horaz (1) » ordinem et figuras verborum, quibus Horatius in carminibus usus est, accuratius examinare statui.

Neque enim Peters, quo duce me usum esse libenter fateor, angustioribus libelli id genus finibus impeditus rem ita absolvisse videtur, ut nihil aliorum diligentiæ reliquerit (2) neque alium, qui universam rem explicaverit equidem novi.

(1) Gymnasialprogramm. Münster 1870.

(2) Alliterationem et similia non attigit, ὑπ᾽ρβατον magis attigit quam absolvit.

Perpauca, quæ huc pertineant, in antiquis Scholiis Horatianis (1), plura in recentiorum commentariis, imprimis Dillenburgeri et Nauckii dispersa inveni; quibus ego collectis, dispositis, ad certas rationes regulasque, quantum fieri poterat, revocatis quum vatis Horati « operosa carmina » iterum iterumque perscrutatus nova nonnulla deprehendisse mihi visus essem, quæ forte non omnino neglegenda esse dixerim, et illorum et mea hac commentatione complecti conatus sum. Quam quidem priusquam typis exscribendam curarem non magis judicio committere quam indulgentiæ commendare volui virorum doctorum, qui in hac Alma Universitate Lovaniensi Justi Lipsii summi viri vestigia prementes antiquitatis et veterum linguarum studia et felicissime colunt et ut colantur a discipulis læteque inter nos floreant docendo et excitando efficiunt.

Quibus optime de me meritis quum aliquo modo hæ literarum mearum primitiæ probari videantur, non me temporis studiique in Horatio melius cognoscendo collocati pœnitebit, licet futurum sit ut

Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

Spero tamen fore ut neque oblitus esse videar illud Horatii : « in silvam ne ligna feras » neque omnino inutile ingratumque opusculum meum sit iis, qui Venusini « gaudent carminibus, » quum quam varia et mira arte « Romanæ fidicen lyræ » ordinem et figuras verborum in usum poeticum transtulerit, uno quasi conspectu cognoverint.

(1) Scholia Horatiana Acronis et Porphyrionis ed. Hauthal. Berl. 1874.

« Nam et insurgit aliquando, ut dicit Quintilianus (J. O. X. 1, 96) et plenus est jucunditatis et gratiæ et *variis figuris et verbis* felicissime audax. »

Dicam igitur primum de *ordine singulorum vocabulorum* sive de *locis conspicuis*, quibus poeta voces graviores ponere soleat; deinde de figuris, quæ ad *conjungenda* et *disjungenda* verba pertinent, tum de iis, quæ ad *repetitionem*, denique de iis, quæ ad *sonum et numerum* verborum spectant.

Præter eas, quas supra commemoravi, his copiis usus sum :

Editionibus Mitscherlich, Orelli, Bulwer (1), Keller et Holder (2). Cadenbach : De alliterationis apud Horatium usu. Essen 1837.

Beste, de genere dicendi Horat. Monast. 1876.

Freund, Triennium philologicum. Lips. 1874.

(1) The Odes and Epodes of Horace. Leipzig 1869.

(2) « Les auteurs de la belle édition critique d'Horace, qui servira désormais de base à toute discussion philologique sur le texte du poète. »
P. Willems, Notes sur Horace Sat. I, 6. Bruxelles 1873.

PARS PRIMA.

De ordine singulorum verborum.

Triplex est ordo verborum in pedestri oratione : grammaticus, logicus, rhythmicus. Rhythmicus ordo in vocum sono et numero versatur, de quibus præter ea, quæ de cæsura et diæresi, de ictu et accentu jam in hac prima parte commemoranda esse putavi, plura in quarta parte disputantur. In logico vero verborum ordine notum est id potissimum agi, ut commutato ordine grammatico verba, quibus maximam vim inesse scriptor aut orator voluerit, locos maxime conspicuos initia et fines sententiarum occupent. Quo fit, ut prima et extrema sententiæ vocabula gravissima esse soleant. *Poeta* vero, imprimis poeta lyricus, quem « gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo » quam longissime ab ordine grammatico et vulgari recedere debet eoque facilius potest recedere, quod non solum sententiarum, sed etiam versuum, hemistichiorum, stropharum, carminum habet initia et exitus, in quibus vocabula maximum pondus habentia collocet; ut uno verbo dicam, non solum *logica* sed etiam *metrica* habet intervalla, quibus aut conjunctis inter se aut oppositis mira oritur locorum varietas, in quibus collocata vocabula quasi exstare atque eminere animosque legentium in se convertere videantur.

Jam vero priusquam ad singula exponenda atque Horatianis exemplis illustranda transeamus, Herderum audiamus hæc præclare monentem (1) : « Man fühle » inquit « wie Horaz die Absätze seiner Materie und seiner Perioden so recht in den Silbenklang einfüge; wie beinah jedes Wort und jeder Gedanke von seiner *Stelle Stärke* empfange; wie in jedem Verse Anfang, Caesur und Ende auch den Sinn jedesmal unterscheide, aufhalte, stütze, hebe; wie die Einpassung aller einzelnen Redeglieder das Ganze zu einem künstlichen Gebäude auch in Absicht des künstlichen Ausdrucks mache ».

CAPUT PRIMUM.

De initio sententiæ initio versus, strophæ, carminis posito.

1. Vocum graviorum initio et sententiæ et versus positarum hæc ex multis collegi exempla :

I, 1, 29, ubi post « Sunt quos, hunc, illum, gaudentem, mercator, est qui, multos, venator, » quæ omnia initiis versuum collocata sunt, magna cum vi opponitur :

(1 Herder, Werke zur Lit. und Kunst. Bd. XI, p. 109, ed. Heyne.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis.

I, 7, 10 : *Me* nec tam patiens Lacedæmon (percussit) post « alii, sunt quibus, plurimus ».

II, 4, 15 : *Regium* certe genus et penates
Mœret iniquos.

III, 4, 27 : *Devota* non exstinxit arbos.

III, 24, 21 : *Dos* est magna parentium
Virtus... ubi *dos* respicit *dotata* v. 19.

In versibus continuis :

I, 18, 3-4 : *Siccis* omnia nam dura Deus proposuit neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

I, 7, 28 : *Certus* enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram, ubi *certus* et *ambiguam* non sine grata repugnantiæ specie inter se opponuntur. Cum quo loco cf.

III, 27, 18-19 ego quid sit *ater*
Hadriæ novi sinus et quid *albus*
Peccet Japyx.

Cf. II. 15, 13 et 14.

2. Initio sententiæ et *strophæ* poetam sæpissime consilio et arte vocabula posuisse hi docent loci :

I, 25, 17 : *Læta* quod pubes hedera virenti gaudeat...

II, 16, 25 : *Lætus* in præsens animus quod ultra est oderit curare.

III, 5, 5 : *Milesne* Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit...

IV, 4, 33 : *Doctrina* sed vim promovet insitam.

IV, 5, 17 : *Tutus* bos etenim rura perambulat

37 : *Longas* o utinam dux bone ferias
Præstes Hesperiæ.

Majorum vim hoc loco habent *verba*, ut :

I, 2, 5 : *Terruit* gentes grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ (v. 13 vidimus 21, audiet.)

IV, 11. 25 *Terret* ambustus Phaeton avaras
Spes.

I, 12, 45 : *Crescit* occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli.

II, 2, 13 : *Crescit* indulgens sibi dirus hydrops

II, 16, 29 : *Abstulit* clarum cita mors Achillem.

III, 27, 5 : *Rumpat* et serpens iter institutum.

Vocabula plenius sonantia vel longiora, ut :

II, 10, 5 : *Auream* quisquis mediocritatem Diligit..

III, 3, 49 : *Aurum* irrepertum et sic melius situm

III, 5, 25 : *Auro* repensus scilicet acrior
Miles redibit

III, 16, 9 : *Aurum* per medios ire satellites (amat)

I, 37, 25 : *Ausa* et jacentem visere regiam.

III, 3, 45 : *Horrenda* late nomen in ultimas
Extendat oras.

III, 6, 45 : *Damnosa* quid non imminuit dies?

II, 7, 21 : *Oblivioso* levia Massico Ciboria exple.
Cf. de polysyllabis in IV parte.

In versibus et strophis continuis poeta haud raro hoc loco posuit vocabula aut opposita aut repetita ut :

I, 14, 17 : *Nuper* sollicitum quæ mihi tædium
Nunc desiderium curaque non levis

IV, 2, 53 : *Te* decem tauri totidemque vaccæ
Me tener solvet vitulus.

II, 7, 9, 13, 15. III, 28, 9, 11 et sæpius.

II, 15, 13-14 : *Privatis* illis census erat brevis,
Commune magnum.

Cf. etiam : I, 25, 17-18 : *Læta* — *Gaudeat*
II, 16, 25-26 : *Lætus* — *Oderit*.

I, 24, 9 : *Multis* ille bonis flebilis occidit
Nulli flebilior quam tibi Vergili!
Tu frustra pius heu! non ita creditum
Poscis Quintilium deos.

Cum quo loco conferas I, 36, 5-7 :

Caris multa sodalibus
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiæ.

I, 12, 53 : *Ille* seu Parthos Latio imminentes Egerit...
57 : *Te* minor lætum reget æquus orbem
Tu gravi curru quaties Olympum
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Sed de anaphora suo loco plura dicenda sunt. Haud raro verba opposita occupant alterum initium hemistichii, alterum initium versus ut :

III, 2, 29 : *Sæpe* Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Nota in metro Alcaico vocem graviorem interdum post anacrusin, in metro Asclepiadeo post basin poni :

I, 6, 2 : Quem *criminosis* cunque voles modum
Pones iambis

II, 7, 13 : Sed *me* per hostes...

v. 15 : *Te* rursus...

IV, 4, 73 : Nil *Claudiæ* non perficient manus.

I, 24, 5 : Ergo *Quintilium* perpetuus sopor
Urget.

3. In *fronte* denique *totius* carminis poetam non primum quodque sed gravius et efficacius vocabulum collocasse omnia fere carminum initia docent. Sæpe enim nomina *propria* eorum ad quos vel de quibus carmina scripsit, sæpe *exclamationes* animum vehementer commotum indicantes vel alia vocabula quæ ad carminum argumenta pertineant, hoc loco invenimus posita ut : Phœbus, Herculis, Bacchum, Dianam, Pindarum; Æli, Albi, Icci, Lydia, Mæcenas, Mercuri, Phœbe, Septimi, Faune, o Venus. Octo carmina incipiunt ab exclamatione O, unum ab eheu, undecim ab interrogatione : quis, quæ, quid, quem, quo, cur; octo a negatione ne (bis) non (quater) nullus, nullam. Reliqua quoque carminum initia ut : Delicta (1), Cœlo, Musis, otium, uxor (2), æquam, integer, justum, natis (3), miserarum, jam, nunc, nondum (4), sic (5) non casu sed consilio posita neque a carminum argumentis aliena esse quis est qui neget?

(1) III, 6, cf. « vitiosiorem » in fine carminis.

(2) III, 15 cf. interludere *virgines*.

(3) I, 27 *Naturæ* scyphorum opponit poeta *barbarum morem* v. 2.

(4) II, 5, 13 Jam.

(5) ad I, 3 in summo doctissimorum virorum de vocula *sic* dissensu si per latinæ linguæ indolem *sic* idem significare non potest ac nostrum « So, sodenn » ut : So leb denn wohl, » quod animum indicans ad dura ferenda paratum aptissime hoc loco dici nemo est qui non sentiat, Doederlini conjecturam « ut finibus » v. 6, meliorem esse dixerim, quam quæ doctius quam rectius de hacre disputata sunt.

Hic quoque ut initio stropharum *verborum* gratam gravemque brevitatem, ut : « odi, exegi, audivere, diffugere, poscimur, solvitur, vides (1), vitas, scriberis (2), laudabunt, nolis, donarem, descende » nobis recentioribus magis admirandam quam imitandam esse unum doceat exemplum I, 32, 1 : *Poscimur*. Verterunt enim Halévy : On me demande des chants.

Bulwer : We are summoned.

Voss : Uns verlangt man.

Quæ si cum latina elegantia comparaveris, te latine scire merito gaudebis.

CAPUT ALTERUM.

De fine sententiæ in fine versus, strophæ, carminis posito.

1. In metris κατὰ στίχον eundem versum usque repetentibus, quum finis sententiæ cum fine versus congruens varietate careat, majorem ex hoc loco vim vocabula capere non solent. Si metrum est δίκωλον vel τρίκωλον gratior et efficacior est huius loci usus ob varium versuum motum et longitudinem. Plurimum vero interest, utrum in fine sententiæ et versus surgat an descendat rhythmus, ut hæc exempla docent :

I, 28, 6 : Percurisse polum *morituro*.
15 : Sed omnes una manet *nox*
Et calcanda semel via *leti*.
20 : nullum
Sæva caput Proserpina *fugit*.

(1) I, 9 : vides — ergo *dissolve* frigus (v. 5) *deprome* vinum ! (v. 7).
(2) I, 6 Scriberis Vario — nos cantamus.

Habet nescio quid triste et languidum vocis in fine versus demissio, quod quidem optime convenit cum huius carminis argumento (1).

Si commutato ordine verborum posueris Glyconeum : « Nullum sæva caput fugit » omnis tristitia rhythmi elapsa esse videtur.

Alacrior enim est accentus et ictus in fine versus discrepantia ut :

III, 2, 13 Dulce et decorum est pro patriá morí.
III, 24, 24 Et peccare nefas aut pretiúm est morí, ubi tristissima illa vox « mori » plus fortitudinis aut severitatis habere videtur quam mœroris. Eadem vox quam diversam ex collocatione vim nanciscatur senties si comparaveris. :

III, 2, 14 : *Mors* et fugacem persequitur virum
et II, 14, 4 : ... indomitæque *morti*.

Notanda sunt hoc loco adjectiva in fine versus et sententiæ ita posita, ut ad *plura* simul vel verba vel substantiva spectent ut :

III, 24, 31 : Virtutem incolumen odimus
Sublatam ex oculis quærimus *invidi*.

Ubi *invidi* et ad « odimus » et ad « quærimus » pertinet. Invidia enim commoti quærimus sublatam ex oculis virtutem ne presentem laudare debeamus. Similis est locus I, 14, 13 : Jactes et genus et nomen *inutile*. cf. pag. 16.

2. Gravius vocabulum in fine sententiæ et *strophæ*

(1) Recte enim Bulwerus ad hunc locum : The humour takes the somber colour of the medieval Dance of Death and is nos without a touch of the genious which speaks in the grave diggers of Hamlet.

positum id efficere dixerim, ut post longiorem cursum in versu ceteris plerumque breviore consistere quasi ac respirare Camena videatur. Exempla afferam quatuor stropharum (1), quibus Horatius usus est.

Metrum Asclep. IV.

IV, 5, 9-16 : Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit patria *Cæsarem*.

Asclep V.

I, 21, 4 : Dilectam penitus *Jovi*.

Stropha Sapphica :

I, 2, 30 : post triplicem interrogationem : Quem vocet? prece qua? cui dabit?
Tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur *Apollo !*

II. 10, 20 : Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit *Apollo*.

I, 10, 12 : viduus pharetra
Risit *Apollo*.

(1) Strophæ appellari solent metra τετράστιχα δίκωλα vel τρίκωλα.

Cf. II, 4, 4 : movit *Achillem*; III, 8, 12 : Consule *Tullo*. IV, 6, 4 : Phthius *Achilles*.

Stropha Alcaica :

II, 1, 23 : Et cuncta terrarum subacta
Præter atrocem animum *Catonis*.

Bene Peters : « Der Namen des Cato hält der ganzen Welt gegenüber das Gleichgewicht. »

III, 4, 4 : Seu fidibus citharaque *Phœbi*.
64 ubi longior ἐπεξήγησις præcedit a versu 60 :

Nunquam humeris positurus arcum
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta natalemque silvam
Delius et Patareus *Apollo*.

IV, 4, 72 : occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale *interempto*.

3. Ut in fronte primi carminis (1), nomen *Mæcenatis* ita in fine secundi poeta posuit nomen *Cæsaris* :

I, 2 : Te duce *Cæsar*. Eodem loco gravius vocabulum invenimus :

I, 16 : Fias recantatis amica
Opprobriis animumque *reddas*. (Ut ego recantavi, tu reddas)

II, 6 : Debita sparges lacrima favillam
Vatis *amici*

(1) Cf. Epi. I, 1 : Prima dicte mihi summa dicende Camena.

II, 7 : recepto
Dulce mihi furere est *amico.*
III, 1 : Cur valle permutem Sabina
Divitias *operosiores?*
III, 6, 48 : Progeniem *vitiosiorem.* De polysyllabo vid. in IV parte.
III, 7 : Difficilis *mane.* III, 8 Linque *severa.*
III, 26 : Tange Chloën semel *arrogantem.*
IV, 3 : Quod spiro et placeo, si placeo, *túum est.* (cf. v. 21.)

Semel poeta suum nomen hoc loco posuit :

IV, 6 : Nupta jam dices : Ego dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

Vate denique dignissimam vocem « Musarum sacerdos » in ultimi carminis fine collocavit.

IV,15,v.28 : Rite deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Trojamque et Anchisen et almæ
Progeniem Veneris *canemus.*

CAPUT TERTIUM.

De media sententia initio vel in fine versus vel strophæ posita.

Vocabula quæ mediam sententiam tenent in oratione minorem plerumque vim habere solent; eadem in locis quos indicavi conspicuis posita clarius quasi elucere videntur, ut hæc doceant exempla :

1. I, 7, 20 : seu densa tenebit
Tiburis umbra tui.
30 : o fortes pejoraque passi
Mecum sæpe viri

In quarto versu metri Sapphici hic locus majorem vim habere videtur, ut :

III, 14, 15 : Nec mori per vim metuam tenente
Cæsare terras.
IV, 2, 47 : canam recepto
Cæsare felix.
I, 12, 51 : tibi cura magni
Cæsaris fatis data ; tu secundo
Cæsare regnes.

2. Initio *strophæ* in media sententia vocem graviorem habes :

I, 5, 12 : Miseri, quibus
Intentata nites.
I, 6, 8 : Nec sævam Pelopis domum
Conamur tenues grandia.

Notandæ imprimis voces initio versus vel strophæ ita positæ, ut sententiæ altera pars præcedat, altera sequatur, ad utramque vox pertineat, ut :

a. initio *versus :*

I, 3, 5 : *Navis.* Te ventoram pater regat — *Navis*- quæ Virgilium debes, reddas.

I, 37, 16 : *Cæsar*, quæ vox medium tenet locum sententiæ a v. 14 incipientis. Redegit — *Cæsar* — adurgens. v. 16.

III, 19, 3 : *Narras*. Quantum distet — *Narras* — et genus et bella.
III, 26, 11 : *Regina*. O quæ tenes Cyprum — *Regina* — tange Chloën.

b. initio *strophæ* :

I, 26, 9 : *Pimplei* dulcis.
II, 7, 5 : *Pompei*. Sententia duas strophas complectitur, initio secundæ positum est Pompei : O deducte — quis te redonavit — *Pompei* — prime — cum quo fregi. Cf. I, 20, 5 : *Care Mæcenas*.

3. Etiam in fine versus vox in media sententia non sine vi ponitur ut :

III, 21, 11 : Narratur et prisci *Catonis*
Sæpe mero caluisse virtus. (cf I, 12, 35 et II, 1, 23).

Hic quoque ut pag. 11 notanda sunt adjectiva ita posita ut ad pluria substantiva utrimque collocata pertineant, cuius rei Peters hæc affert exempla :

I, 17, 13 : Dis pietas *mea*
Et Musa cordi est.
I, 2, 1 : Jam satis terris nivis atque *diræ*
Grandinis misit pater.
II, 6, 21 : Ille te mecum locus et *beatæ*
Postulant arces.
C. S. 21 : Nutriant fetus et aquæ *salubres*
Et Jovis auræ.
66 : Remque Romanam Latiumque *felix*
Alterum in lustrum meliusque semper
Proroget ævum.

Quibus adde :
II, 13, 18 : catenas et *Italum*
Robur
III, 11, 25 : Audiat Lyde scelus atque *notas*
Virginum pœnas
39 : Socerum et *scelestas*
Falle sorores
I, 28, 4 : ossibus et capite *inhumato*, ubi *præcedunt* substantiva
et II, 20, 19 : me *peritus*
Discet Hiber Rhodanique potor (1), ubi *sequuntur* substantiva.
Ad II, 8, 3 : Dente si nigro fieres vel *uno*
Turpior ungui.

Dillenburger hæc habet : « *uno* referendum etiam ad » *dente* »; Orelli : « *uno* refer etiam ad v. *dente*. »

Nauckius vero : « Das steigernde *uno* auch zu *dente* zu denken ist ein sehr *unglücklicher Gedanke*..

Cf. quæ de figura quæ vocatur σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ disputavi infra.

4. In fine denique *strophæ* et in media sententia habes gravius vocabulum :

III, 16, 11 : concidit auguris
Argivi domus ob *lucrum*
Demersa exitio. Cantat enim poeta, quid

(1) Recte enim Bulwerus ad h. l. hæc annotat : « Peritus Hiber » does not mean « the learned Spaniard » as it is commonly translated. The adjective applies as in similar cases is habitual with Horace both to *Hiber* and *Rhodani potor* and as Dillenburger, Orelli and Macleane agree, the meaning is : « thas this barbaric nations will *become* versed in me » προληπτικῶς igitur *peritus* positum est.

« mortalia pectora cogat auri sacra fames. »

III, 2, 27 : sub isdem
Sit trabibus fragilemque *mecum*
Solvat phaselon ; ubi procul dubio *mecum* et ad *sit* et ad *solvat* spectat.

Jam vero de iis locis agendum est, quæ *concursu* plurium sententiarum in eodem versu facto oriuntur. Sæpissime enim poeta finem sententiæ in proximum versum ita quasi trajecit, ut ultima vox sententiæ aut prima sit aut media aut fere ultima versus, quæ quidem cum prima proximæ sententiæ voce excipitur, sententiæ et versus initia et exitus eo efficacius inter se opponuntur, quod præter expectationem concurrunt. Patet præterea hac verborum collocatione non solum consuetas cæsuras atque diæreses majorem vim nancisci, sed etiam novas addi.

Cæsuras atque diæreses consuetas signis solitis : | , ‖ , novas his : †, # notavi. Neque neglegendus esse videtur ictus ante cæsuram et diæresim magna sæpe cum vi ita positus ut cum accentu pugnare videatur, quam concordem accentus et ictus discordiam Ritschelius appellat :

« Die harmonische Disharmonie von Vers-und Wortaccent, auf welcher der Reiz der antiken, in besonders eigenthümlicher Mischung aber der Römischen Verskunst zu einen so wesentlichen Theile beruht. » Opusc. t. II, præf. p. XII.

Accentus et ictus congruentia, ut jam supra dixi, gravitatem vel tristitiam atque languorem, repugnantia

alacritatem et vehementiam indicare videtur. Cuius rei præclarum exemplum Carmen I, 4 mihi esse videtur, ubi admirabili plane arte poeta non solum alternantibus versibus, quorum prior ictum ante cæsuram | gratá | vice, gaudét | pecus), posterior perfectam accentus et ictus concordiam habet, novam vitæ voluptatem tristemque mortis metum egregie inter se opponere, sed etiam omissis in vv, 17 et 19 ictu et cæsura (Plutonia, mirabere) non magis verbis quam moriente sensim versuum motu indicare videtur, se non sperare εὔελπιν θάνατον sed « æternum exsilium » timere.

Eiusdem rei exempla in iis, quæ sequuntur, facile cognosces.

CAPUT QUARTUM.

De concursu sententiarum INITIO VERSUS.

1. Huius loci eam esse vim dixerim, ut in ultimo vocabulo prioris sententiæ Musa quasi fessa, vel dubia vel anxia et sollicita initio versus hærere, in primo vero posterioris sententiæ verbo eo fortius insurgere videatur, ut :

I, 1, 23 : Multos castra juvant et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. † Manét ‖ sub Jove frigido Venator. Nonne matrem lamentantem audire, strenuum venatorem sub divo pernoctantem videre tibi videris ?

Cf. 18, 9 : Debellata † monet ‖

I, 2, 29 : Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? † *Tandém* | venias precamur (*Apollo*)

I, 5, 12 : Sperat nescius auræ
Fallacis. † *Miseri* † quibus Intentata nites

I, 7, 15 : Albus ut obscuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus neque parturit imbres
Perpetuó, | *sic tu* sapiens finire memento

(labores)... ubi quantam vim vox « perpetuo » hac collocatione nanciscatur optime cognosces [si comparaveris ib. 5-6 :

Sunt quibus unum opus est intactæ Palladis urbem
Carmine *perpetuo* celebrare.

I, 9, 18 : Donec virenti canities abest
Morosa. † *Nunc* et || campus et areæ.

Poeta non magis verbis ipsis quam locis quibus ea posuit clamare videtur :

I, 11, 7 : Dum loquimur fugerit invida
Ætas. † *Carpe* diém!

Ter vox quæ poetæ dignitatem indicat, hunc locum occupavit :

I, 31, 2 Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates. † *quid* orat..

II, 20, Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates.

III, 19, 15 : Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates.

Frequentem huius loci usum vides in carm. I, 15, ubi « sudor, genti, Ajacem, gentis, Teucer, pugnæ, nosces » in fine sententiæ, initio versus posita pingunt Paridem, « cervus uti mollis anhelitu sublimi » huc

illuc cursitantem, frustra præsidium ab instantibus acriter hostibus quærentem.

Præclarum huius verborum collocationis exemplum est I, 34, 5, sq. namque Diespiter

Igni corusco nubila dividens
Plerumque, † *per purum* tonantes
Egit equos volucremque currum,

Quo bruta tellus et vaga flumina
Quo Styx et invisi horrida Tænari
Sedes Atlanteusque finis
Cóncutitúr. † *Valet* ima summis Mutare...

Deus... Illud « concutitur » sonat ac terret velut tonitrus cum magno fragore cœli subito erumpens ; sequitur « valet etc. » ut cœli sereni majestas post tempestatis furorem.

Cf. I, 24, 5 : *urget-cui* I, 26, 6 : *Securus. O quæ.* I, 31, 15 *Impune : me*... ubi vis *εἰρωνείας* hac collocatione verborum vehementer augetur. I, 37, 10 : *Ebria : sed* minuit furorém... v. 16. *Cæsar*, quæ vox eodem loco opponitur :

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare fortunaque dulci
Ebria : *sed* minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar ab Italia volantem Remis adurgens.

II, 13, 10; II, 14, 21 *Uxor* 16, 17 : *Multa* 17, 7 *Integer*? *Ille* 19, 7 : *Lætatur*. III, 1, 14 : sit *major* : *æqua*.

III, 2, 6 *In rebus* cum quo loco cf. II, 2, 21 : *Vocibus* et III, 21, 10 : *Sermonibus*. III, 4, 79 : *Custos*.

III, 5, 2 : *Regnare* † *præsens* || III, 5, 13 : *Fœdis*. 26, 4 : *Custodit*.

IV, 2, 33 : *Cæsarem*. IV, 9, 26 : *multi; sed omnes*, v. 28 : *Nocte*, *carent* quia... 43 : *Vultu*, quod vocabulum magna cum vi positum indicat, judicem illum solo vultu deterrere corrumpere conantes.

Singularem hic locus vim habet, si tota sententia uno verbo continetur, ut :

I, 32, 1. *Poscimur*. I, 13, 9 : *Uror*. I, 24, 19 *Durum*.

III, 7, 21 : *Frustra*. III, 13, 6 : *Frustra*. III, 4, 5 *Auditis*? Notandum monosyllabum, quod sequitur : seu, sed, nam, an.

Cf. Tibulli locum I, 7, 5 : Evenere.

2. Initio *Strophæ* ultimum sententiæ vocabulum cum magna vi et effectu his locis videmus positum :

I, 2, 49 : *Tollat*.

Serus in cœlum redeas diuque
Lætus intersis populo Quirini
Neve te nostris vitiis iniquum
    Ocior aura
Tollat. *Hic* magnos potius triumphos
Hic ames dici pater atque princeps...

II, 2, 21 : *Vocibus*, † *régnum* |

Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit Virtus populumque falsis
    dedocet uti
Vocibus, *regnum* et diadema tutum

Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo inretorto
    Spectat acervos.

II, 8, 5 : *Crederem*. † *Sed tú*. |

Ulla si iuris tibi peierati
Pœna, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
    Turpior ungui,
Crederem. *Sed tú*...

II, 10, 17 : *Summovet*. † *Non*.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
    Iuppiter idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit.

Cf. v. 15 : *Pectus*, v. 18 : *Sic erit*

III, 4, 13 : *Texere*. † *Mirum* || quod foret omnibus.

Me fabulosæ Volture in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ
  Ludo fatigatumque somno
  Fronde nova puerum palumbes
Texere, *mirum* quod foret omnibus,...

7, 5 : *Gygen? Ille*
11, 17 : *Cerberus*.
IV, 14, 5 : *Æternet*.

CAPUT QUINTUM.

De concursu sententiarum in fine versus.

Rarior huius loci usus eam mihi vim habere videtur ut priorem sententiam placide in cæsura vel diæresi conquiescentem posterior a fine versus incipiens alacrior excipiat. Hæc collegi exempla, in quibus accentus et ictus in priore sententiæ concordiam animadvertas velim.

I, 9, 9 : Permitte divis || *cætera* : # *qui simul*
Stravere ventos etc.

Non sine consilio et arte illud : *qui simul* hoc loco positum est. Tantum enim abest, ut, quod nimis severi judices dixerunt, « tempestas postquam detonuerit, detonnisse dicatur, » ut in mentem nobis revocetur illud Vergilii :

Aen. I, 142 : Sic ait et *dicto citius* tumida æquora placat
Collectasque fugat nubes solemque reducit.

I, 27, 5 : Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum || *discrepat* : # *impium*
Lenite clamorem sodales. Est enim « verecundus Bacchus » v. 2.

I, 27, 17 : Quidquid habes age
Depone tutis || *Auribus*. # *Ah miser*
Quanta laborabas Charybdi.

Vides amicum aurem ori amici familiariter admoventem, ut secretum illud nomen sibi insusurret; sentis silentium omnium, subito extorto nomine quasi attoniti amici exclamatione interruptum. Poeta enim lyricus

ipsa verborum collocatione indicat, quod poeta epicus expressis verbis dicit : ὥς ἔφαθ' οἱ δ'ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιώπην.

III, 5, 38 : Pacem duello || miscuit, # *O pudor!*
III, 7, 22 : Voces audit adhuc || *integer*. # *At tibi*... cave!
III, 17, 13 : *aridum*
Compone lignum. (cras enim pluet.)
Desine flectere

IV, 1, 7 : Jam durum *imperiis*. †*abi*
Quo blandæ juvenum te revocant preces.

IV, 7, 19 : Cuncta manus avidas fugient *heredis*,| *amico*
Quæ dederis animo.

Etiam IV 13, 17 huc pertinet, si sequi vis Bentleium, Dillenb., Orellium ita interpungentes :

Quo fugit Venus, heu, quove color? decens Quo motus?

Quam quidem interpungendi rationem Nauckius appellat : « Die odiöse Interpunction! »

Posterior sententia *uno verbo* continetur his locis :

I, 14, 16 : cave. III, 7, 24 cave. III, 14, 24 : abito. IV, 5, 4 redi. III, 19, 8 *taces*, nisi quod I, 14, 16 et IV, 5, 4 σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ adhiberi dixeris.

Non alienum ab hoc loco esse videtur minus gratam illam conjunctionum *neque*, *nec*, *atque*, *ut*, in fine versuum collocationem commemorare, quæ magis ut crepitent quam ut sonent vocabula efficere videtur, ut :

I, 3, 28 : Cœlum ipsum petimus stultitia neque...
18, 3 : Siccis omnia nam dura deus proposuit neque.

II, 7, 19 : Depone sub lauru mea nec
III, 1, 25 : quod satis est neque
38 : quo dominus neque
29, 46 : efficiet neque
IV, 8, 20 : Pierides neque
II, 10, 21 : Rebus angustis animosus *atque* (Fortis appare)
III, 11, 18 : Muniant angues caput eius *atque* (Spiritus teter) quamquam his locis « atque » et propter assonantiam vocalis *a* et ideo minus ingratum est, quod in thesi finitur quæ arsi excipitur. Simili ratione
I, 14, 4 : Nonne vides *ut* Nudum remigio latus etc., si *ut* sine vocis intervallo in sequentem versum rapitur, aptum est ad animi vehementem commotionem exprimendam.

III, 24, 63 et IV, 13, 2 « tamen » in fine versus positum aliquid ridiculi habere videtur.

Conjunctio « et » vicies et quater, ni fallor, in fine versus recurrit; sed vicies et semel ita, ut per elisionem cum proximo vocabulo quasi coalescens κακοφωνίαν non efficiat, ut :

I, 3, 19 : Qui vidit mare targidum et
7, 6 : Carmine perpetuo celebrare et.
9, 13 : Quid sit futurum cras fuge quærere et.

In uno carmine III, 29 quater :
v. 3 : rosarum et v. 7 : arvum et
v. 9 : copiam et v. 49 : negotio et

Elisio non fit : I, 28, 31 : Fors et, III, 11, 5 : Nunc et, IV, 13, 6 : ille virentis et..,

Ubi forte non casu factum est, ut vocabulum, quod sequitur, incipiat a ***d***, quo facilior sit transitus.

CAPUT SEXTUM.

De concursu sententiarum in medio versu.

Abundant huius verborum collocationis exempla, quæ plus octoginta collegeram; sed ut legentium fastidio occurrerem eos tantum seligendos esse locos putavi, ubi vox « ego » posita est. Quo rarius enim nomen Horatii, quod semel IV, 6, 44 invenimus, eo frequentior est vox « ego », quæ in carminibus vigesies et sexies, ni fallor, recurrit.

Notandum est constans fere monosyllabum ante vel post « ego » positum, quod ictu præditum hærentem in cæsura vel diæresi versuum motum quasi incitare videtur.

A. Metra Asclepiadea.

I, 18, 11 : Discernunt *avidi.* ‖ *Nón ego te.* ‖ candide Bassareu (invitum quatiam)
cf. 23, 9 : Atqui *non ego te* ‖ tigris ut aspera (frangere persequor).
III, 30, 7 : multaque pars mei
Vitabit Libitinam. ‖ *Usqueego* postera (Crescam laude)
IV, 12, 22 : cum tua
Velox merce *veni!* ‖ *nón ego* te meis (tingere poculis meditor)

B. Metrum Alcaicum.

I, 16, 24 : Fervor et in celeres iambos
Misit *furentem.* ‖ *Núnc ego* mitibus
Mutare quæro tristia

ubi poeta finem sententiæ in novam stropham « misit furentem » seu verius pœnitentem. Deferbuit enim « fervor » ut motus metri in diæresi et thesi et *nunc* « bene pœnitet. »

cf. v. 9 initio strophæ : Tristes ut iræ ‖ quás neque etc.

II, 7, 26 : quem Venus arbitrum
Dicet *bibendi?* ‖ *Nón ego* sanius (Bacchabor Edonis)

II, 17, 9 : ille dies utramque
Ducet ruinam ! ‖ *Nón ego* perfidum
Dixi sacramentum. (1)

20, 3 : invidiaque major
(init. stroph.) Urbes relinquam : ‖ *nón ego* quem vocas.

III, 3, 38 invisum nepotem
(in. str.) Marti redonabo ‖ *illumego* lucidas (inire sedes)
5, 18 : Si non periret immiserabilis
Captiva *pubes* : ‖ *Signa ego* Punicis (affixa vidi)
(in. str.) 21 : Derepta *vidi;* ‖ *vídi ego* civium (retorta brachia)

IV, 9, 30 : Paulum sepulta distat inertiæ
Sepulta *virtus*. ‖ *Nón ego* te meis (Chartis silebo)

C. Metrum Sapphicum.

III, 14, 13 : Hic dies vere mihi festus atras

1) His verbis de Champy, vir Horatianæ Musæ studiosissimus amico interroganti essetne presbyter juratus (prêtre assermenté) eleganter respondisse dicitur.

Eximet *curás* : | *ego néc* tumultum (metuam)

27, 7 : (serpens) Terruit mannos : | *ego cui* timebo.
17 : Sed vides quanto trepides tumultu
Pronus Orión : | *ego qúid* sit ater... (Hadria novi)

IV, 2, 26 : Tendit, Antoni, quotiens in altum
Nubium Tractús. | *Ego* apis Matinæ (more modoque)

6, 41 : Nupta jam dicés : | *Ego dís* amicum (reddidi carmen)
Ictus vim verborum mire augere videtur :

II, 10, 21 sq. Rebus angustis animosus atque
Fortis *apparé* |
cf III, 3, 4 Mente quatit *solidá*.

Monosyllabum illud etiam in aliis huius modi locis frequentissimum est ut *Metr. Sapph.* I, 2, 26 : prece quá 20, 10 : mea néc II, 6, 22 : ibi tú 8, 23 tua né; III, 11, 49 : J pedes quo | *té* rapiunt, ubi té opponitur duplici « Me » 45, 47 *Metr. Alc* I, 16, 9 : quás neque

I, 16, 5 : nón adytis quatit I, 27, 13 : non alia
II, 3, 2 nón secus in bonis
15, 10 nón ita Romuli
19, 26 nón sat idoneus
III, 1, 18 nón Siculæ dapes
22 nón humiles domos
III, 5, 50 nón aliter tamen
III, 29, 38 nón sine montium (cf. 26, 2)
45 nón tamen irritum
IV, 9, 18 nón semel Ilios

III, 4, 58 : *Hinc* avidus III, 17, 9, 14 : cras IV, 9, 34, ést Metr. Ascl. I, 1, 17 : mox, 5, 5 : heu, 5, 13 : Me 11, 7 : dum.

CAPUT SEPTIMUM,

De conjuncto diversorum in ponendis vocabulis locorum usu.

Patet locorum, de quibus hactenus disputavi, eo majorem esse efficientiam, quo plures in eodem carmine diversi inter se opponantur; cuius rei plura hic afferrem exempla, nisi multa, quæ huc pertinent, infra cum de figuris verborum dicam, afferenda essent.

1. Ac primum quidem opponuntur vocabula initio et in fine *versus* posita ut :

I, 2, 9-12 Piscium — columbis — damæ — ulmo — æquore : *Piscium* et summa genus hæsit *ulmo*
Nota quæ sedes fuerat *columbis*
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ

I, 6, 18 : *Sectis* in juvenes unguibus *acrium*, ubi : « animadvertendum est oxymoron sectis — acrium. Quæ verba hand temere alterum initio, alterum in fine versus posita sunt. » Dillb.

I, 21, 1—12 : *Dianam* teneræ dicite virgines
Intonsum pueri dicite *Cynthium*
Latonamque supremo
Dilectam penitus *Jovi*.

Quæ « prima stropha totam quasi familiam conjungit, filium, filiam, matrem, patrem. » Dillb.

II, 3, 1 : *Æquam* memento rebus in *arduis*.
II, 19, 28 : *Pacis* eras mediusque *belli*.
III, 3, 44 : *Roma* ferox dare jura *Medis*.
72 : *Magna* modis tenuare *parvis*
IV, 6, 29 : *Spiritum* Phœbus mihi Phœbus *artem* (dedit).

« Inter se opposita sunt *spiritus* et *ars*, egregio consilio in præcipuis versus locis collocata. Quæ cum conjuncta sunt bonum efficiunt poetam. » Dillb.

I, 12, 33-35 : *Romulum*, *Pompili*, *Tarquini* initiis versuum continuorum posita sunt, quibus opponitur nomen *Catonis* in fine 3. versus.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an *Catonis*
Nobile letum.

I, 14 post *Fluctus*, *Portum*, *Æquor*, *Fidit*, quibus initiis versuum, in finibus sententiarum collocatis summa poetæ quasi exanimati anxietas exprimitur, tandem vox gravissima *Cave!* in fine strophæ sequitur.

III, 19, 3 illud *Narras* initio versus in media sententia collocatum quasi ante oculos legentium ponit unum illum φιλολόγος quæstionibus vacantem (Orelli) et quasi e suggestu ceteris declamantem ; contra illud *taces* in fine versus et sententiæ (v. 8) positum eundem pingit demisso animo quasi in angulum se recipientem.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori,
Narras et genus Æaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio :
Quo Chium pretio cadum

Mercemur, quis aquam temperet ignibus
Quo præbente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, *taces*.

Cum quo loco confer III, 7, 16-17 ubi *refert* in fine strophæ, *narrat* initio proximæ, *monet* iterum in fine strophæ posita indicant præclare assiduam loquacitatem nuntii.

In eodem carmine v. 21 *Frustra* v. 22 *at tibi* v. 24 *cave* mira arte inter se opponuntur.

2. Nec desunt exempla vocabulorum initio et in fine *strophæ* magna cum vi positorum ut :

I, 10, 9-12 :

Te boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotos puerum minaci
Voce dum terret viduus *pharetra*
Risit *Apollo*.

II, 1, 25-28 :

Juno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias *Jugurthæ*.

III, 1, 34-40 : . . . . huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis dominusque terræ

Fastidiosus; sed Timor et Minæ
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit ærata triremi et
Post equitem sedet *atra cura*.

Nonne ipsa verborum collocatione pingitur dominus terræ fastidio captus, cura exagitatus?

III, 16, 9-12 : Aurum — lucrum.

IV, 2, 1—4 : *Pindarum* quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina *ponto*.

Præclara arte poeta IV, 5, 9-16 vocabulorum alterum par initio prioris, alterum in fine posterioris strophæ collocavit :

Ut *mater juvenem*, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit *patria Cæsarem*.

PARS ALTERA.

De figuris (1), quæ ad conjungenda et disjungenda verba spectant.

CAPUT PRIMUM.

De inversione.

Inversione Horatius non magis ob metricas necessitates quam eo consilio et frequentius et audacius usus

(1) Figuræ verborum (*σχήματα λέξεως*) ita differunt a figuris sententiarum (*σχήματα διανοίας*) ut « *sententiæ* figura immutato verborum ordine vel translato *maneat* nihilominus, *elocutionis* autem, si distraxeris vel immutaveris verba vel ordinem eorum non servaveris, *manere non possit* » Aqu Rom. p. 28 Idem fere iisdem verbis dicit Alex. p. 10: *τὸ δὲ τῆς λέξεως σχῆμα τοῦ τῆς διανοίας διαφέρει ὅτι τὸ μὲν κινηθείσης τῆς λέξεως ἀπόλλυται, τοῦ δὲ τῆς διανοίας σχήματος, κἂν τὰ ὀνόματα κινῇ τις... τὸ αὐτὸ πρᾶγμα μένει.* Qua distinctione si uti voluisset Quintilianus, *ὑπέρβατον* vel transgressionem verborum certe non in numero « troporum » possuisset neque alii *ἀντίθεσιν* appellarent figuram verborum. Ceterum de figuris verborum idem fere dici potest, quod de tropis Quintilianus 8 1, 1 : « circa tropum » inquit « inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est, quæ sint genera, quæ species, qui numerus qui cuique subjiciatur » Ego omissis levioribus ea potissimum exponam, quibus poetica ars et elegantia cognoscitur.

esse videtur, ut verba graviora conspicuis illis locis ponantur, de quibus in I. parte disputavi. Dicam de inversione pronominum, conjunctionum et præpositionum.

1. *Pronominis relativi* creberrima est inversio, ut :

I, 2, 10 : Nota quæ sedes fuerat columbis
I, 4, 10 : Aut flore terræ ‖ quem terunt solutæ (Jam terra soluta, non specularia ferunt flores).
I, 14, 17 : Nuper sollicitum ‖ quæ mihi tædium
I, 20, 2 : (Sabinum). Græca | quod ego ipse testa (levi)
35, 1 : O diva gratum ‖ quæ regis Antium
cf. II, 3, 18; 13, 10; III, 1, 17;
II, 16, 31 Et mihi forsan | tibi quod negarit Porriget hora
III, 4, 7 : ...per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ.
III, 4, 13 mirum ‖ quod foret omnibus. Ad quem locum bene Peters : « Das Adjectivum *mirum* macht nicht blos durch seine Bedeutung, sondern noch vielmehr durch seine Stellung auf das Wunderbare in dem Vorfall aufmerksam. »

III, 11, 49 : J pedes quo té | rapiunt
IV, 3, 17 : Dulcem quæ strepitum ‖ Pieri temperas.
IV, 11, 34 : Condisce modos amanda
Voce quos reddas.

Huc pertinent si Nauckium sequi volueris interpungentem III, 27, 41 : Vana quæ porta fugiens eburna.

IV, 11, 5 : Multa qua crines religata fulges (1).

(1) Ad IV, 11, 5 Nauckius hæc habet : *multa fulges* dichterisch für *fulgere soles*, das Relativum nachgestellt wie II, 2, 10. III, 27, 41 ...So

Ubi Orellius et Dillenb. Vana, Multa, habent.

Contrarium quoddam inversionis pron. rel. exemplum habes IV, 7, 7 : ...et almum-Quæ rapit hora diem. IV, 3, 10 : Sed *quæ* Tibur aquæ ‖ fertile præfluunt.

Pronominis *interrogativi* inversionem vides I, 29, 7 : Puer quis II, 6, 19 : Patriæ quis exsul,

Pron. *indef.* : IV, 2, 1 : Pindarum quisquis studet æmulari.

Hoc loco commemorandum esse puto pronomen *quicumque* tmesi diremptum his locis :

I, 27, 14 : Quæ te cunque domat Venus.
I, 9, 14 : Quem fors dierum cunque dabit.
I, 16, 2 : Quem criminossis cunque voles modum.
I, 6, 3 : Quam rem cunque ferox... miles gesserit.

Quibus locis a Beste allatis adde

I, 7, 25 : Quo nos cunque feret melior fortuna parente.

2. *Conjunctiones* secundo vel tertio loco positas et aliis et his locis inveni :

dum : I, 2, 17 : Iliæ dum se nimium quærenti...
34, 2 : Insanientis dum sapientiæ.
III, 7, 18 : Hyppolyten ‖ dum fugit abstinens.

Sæpius tamen sine inversine ut I, 22, 10; II, 3, 15; III, 3, 37; 11, 16.

ne : I, 2, 5 : Terruit gentes | grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ.
28, 23 : ... vagæ | ne parce malignus arenæ.
36, 10 : cressa ne careat pulchra dies nota.
II, 8, 23 : ... | tua ne retardet Aura maritos.

wenig sich *multa copia* verbinden lässt (nur *magna* copia ist lateinisch) ebenso wenig dürfte, wo es *copia* bedeutet, *multa vis* zu den Möglichkeiten gehören.

nisi I, 10, 9 : *Te boves* olim nisi reddidisses, ubi *boves* juxta *Te* positum statim in mentem revocat furtum Mercurii (1). cf. III, 17, 12.

postquam : II, 4, 9 : Barbaræ postquam cecidere turbæ.
quamvis IV, 6, 6 : Filius quamvis Thetydis marinæ.
quia IV, 9, 28 : Carent quia vate sacro. cf. IV, 13, 10, 11.
quod I, 25, 17 : Læta quod pubes (gaudeat)
quotiens IV, 2, 26 : Tendit Antoni | quotiens in altum
quum I, 15, 1 : Pastor quum traheret per freta
sed IV, 4, 33 : Doctrina sed vim promovet insitam
si I, 16, 7 : Non liber æque non acuta
Si geminant Corybantes æra.

Ad quem locum Dillenb. « In omnibus libris scriptum est *sic,* sed recepi nunc ingeniosam Bentleii emendationem *si.* Sententia est : Non Corybantes si acuta æra geminant... Simile plane loquendi genus est carm. II, 17, 14; III, 21, 21. » Cæterum tres Codd. Parisini (π, p. r.) habent : *si.* quod Keller et Holder receperunt.

II, 8, 1 : Ulla si juris tibi pejerati -- Pœna.
3 : Dente si nigro fieres.
III, 3, 65 : Ter si resurgat. III, 10, 1; III, 23, 17; IV, 12, 15.

(1) « Die Construction dieser Strophe hat auf den ersten Anblick etwas Befremdliches; aber das ist dem Zwecke derselben ganz angemessen. Der Dichter will... die Geschichte von dem Rinderdiebstahle... hervorheben und das konnte wohl nicht besser geschehen, als so, dass die *boves* sogleich an den Anfang traten. » Peters p. 5.

Cæterum poeta vocabulis « Te-boves » continenter conjunctis, « Te-Apollo » tota stropha separatis, duplici adhibita conjunctionum inversione (nisi-dum) « per dolum » jocosum ut Mercurius boves ita sententiam abscondere videtur.

simul fere semper per inversionem ponitur :

I, 4, 17 : quo simul mearis
9, 9 : qui simul — Stravere
12, 27 : 27, 33 quorum simul alba nautis Stella refulsit. II, 8, 5; III, 4, 37.
ubi : II, 6, 17 : Ver ubi longum
III, 6, 41 : ... || Sol ubi montium
IV, 5, 6 : || Vultus ubi tuus

ut comparativum :

I, 7, 15 : Albus ut obscuro deterget nubila cœlo
15, 29 : Quem tu, || cervus uti || vallis in altera.
I, 16, 9 : Tristes ut iræ
23, 9; 37, 17; IV, 2, 5;

ut finale : I, 37, 20; et IV, 13, 26 vide infra.

ut temporale IV, 4, 42 : Dirus per urbes Afer ut Italas (equitavit).
nam I, 18, 3 : Siccis omnia nam dura deus proposuit
IV, 14, 9 : Milite nam tuo
III, 11, 30 : Impiæ nam quid potuere magis?

Nisi cum Dillenb. malueris parenthesin ponere :

Impiæ — nam quid etc.

etenim IV, 5, 17 : Tutus bos etenim rura perambulat
sed IV, 4, 33 : Doctrina sed vim promovet insitam.

Verba audacius ante conjunctiones posita sunt :

I, 20, 3 : datus in theatro Quum tibi plausus.
I, 37, 20 : daret ut catenis Fatale monstrum.
IV, 13, 26 : possent ut juvenes visere fervidi
IV, 9, 28 : carent quia vate sacro.

3. De particula *et* Dillenburger ad I, 2, 9 :

Piscium et summa genus hæsit ulmo

hæc annotat : « Apud poetas etiam *et* particula enclitica est, » quod cave ne ita intelligas ut *et* secundo loco positum non majorem vim habere putes quam enclitica *que*. Præter locos a Dillenb. allatos : I, 2, 9; 18, 39; 12, 11; 13, 6; 29, 14; 31, 10; 37, 8; II, 19, 10; 16; III, 4, 70; 24, 48; IV, 10, 4; 15, 2; 5; confer II, 8, 13 : Simplices Nymphæ ferus et Cupido, ubi *et* eandem vim ac *etiam* habere videtur.

Ut particula *et* ita etiam *nec* per inversionem positum est : I, 8, 6 : Gallica nec lupatis Temperat ora frenis III, 18, 6 : Larga nec desunt (Vina).

IV, 5, 14 : Curvo nec faciem litore dimovet.

4. Particulæ « *que*, *ve*, *ne* » sæpe non ei vocabulo adhærere videntur, quod superioribus addendum est. Quod ne casu vel metrica ratione factum credas, sic tibi persuade, poetas transposita particula *et* majorem vim vel pondus aliquod addidisse ei vocabulo cui illa adhæret et speciem aliquam effecisse constructionis ἀπὸ κοινοῦ nimirum ut unum vocabulum utrinque traheretur. » Dillenb. ad II, 7, 25.

Quæ verba si recte intelligo idem sibi volunt atque Dissen. Tibull. tom. II, p. 21 qui Tibull. I, 3, 56 : *Messalam terra dum sequiturque mari* ita interpretatur : *dum terra sequitur sequiturque mari*. Quam opinionem ne cum Heindorfio ad Sat. I, 6, 42 rejicias, monent hi loci : I, 5, 6 : « fidem *mutatosque deos* pro : fidem mutatam et mutatos deos.

I, 12, 6 : Aut super Pindo gelido*ve* in Hæmo

III, 11, 13 : Tu potes tigres comitesque silvas
III, 1, 12 : Moribus hic meliorque fama.

ubi adjectiva utrinque spectare quis est qui neget? Quamquam mihi quidem et metricam necessitatem secutus et poeticam elegantiam ita quæsivisse poeta videtur, ut verba graviora eminentioribus locis collocaret. Quæ opinio probabitur fortasse iis, qui comparaverint hos locos :

I, 30, 6 : *Gratiæ* zonis properentque *Nymphæ*
II, 17, 16 : *Justitiæ* placitumque *Parcis*
II, 19, 28 : *Pacis* eras mediusque *belli.*
ibid : 32 : Ore *pedes* tetigitque *crura.*
III, 4, 11 : *Ludo* fatigatumque *somno.*

Animadverte simili ratione transposita *ante* verba :

sive : III, 21, 2 : Seu tu querelas sive geris jocos, pro : sive jocos
et » » 18 : viresque et addis cornua pauperi, pro : et cornua
III, 4, 6 : Audire et videor... errare pro : audire et errare videor.

4. *Præpositiones* etiam audacius poeta transposuit his locis :

inter : III, 3, 11 : Quos inter Augustus recumbens
III, 3, 27 : Dum longus inter sæviat Ilion
Romamque pontus
III, 15, 5 : Inter ludere virgines.
23, 10 : Quercus inter et ilices.
27, 51 : Utinam inter errem
Nuda leones.

præter : III, 27, 31 : Nihil astra præter
Vidit et undas.

circum II, 16, 33 : Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ.

in semel omissum, semel inversum III, 25, 2 quæ nemora aut quos agor in specus.

Cf. Verg. Æn. 7, 234 : fata per Æneæ.

CAPUT ALTERUM.

De trajectione (transgressione) verborum.

ὑπέρβατον.

Trajectio est verborum, quæ *grammatica* ratione conjungi solent et cohærent talis sejunctio, ut alterum quo ad alterum perveniat alia vocabula interjecta quasi trajicere, transgredi (ὑπερβαίνειν) debeat. Hac figura cum aliæ sententiæ partes tum imprimis segungitur substantivum a suo attributo, ut :

I, 7, 28 : *Certus* enim promisit *Apollo.*

Quod vero Peters carm. III, 4, 13 : *mirum quod foret omnibus* per ὑπέρβατον positum esse dicit, inversionem pro trajectione sumere videtur, quæ quomodo differant, ex ipsis vocibus optime cognoscitur. Possunt enim sejungi verba ita ut ordo non commutetur et inverti ita ut non sejungantur. Illud : « Mirum quod foret omnibus » nullam habet sejunctionem, sed inversum est « mirum quod » pro « quod mirum ».

Contra I, 16, 22 : *Me* — 25, *misit furentem* adjectivum a substantivo duodecim verbis sejunctum est, nulla tamen inversione facta, nisi quis « misit furentem »

positum esse dixerit pro « furentem misit, » quæ inversio a pedestri oratione non abhorret.

Potest etiam inversio cum trajectione conjungi, ut :

IV, 4, 25 : rite quid indoles (1)
Nutrita posset.

Nam et « rite quid » inversum est pro « quid rite » et adverbium « rite » a « nutrita » sejunctum.

Hæc præfatus ad varia trajectionis genera exemplis illustranda transeam, quæ ita proponere velim ut non magis, *quot* verbis sejunctio fiat, sed quibus potissimum locis verba sejuncta posita sint, eluceat. Summa enim et varia arte poeta ita sæpe verba sejunxit, ut arctius conjuncta et connexa esse dixeris. Posita enim sunt :

I. Alterum *initio*, alterum in *fine*

1. Eiusdem versus ut :

I, 1, 14 : *Myrtoum* pavidus nauta secet *mare*.
15 : *Luctantem* Icariis fluctibus *Africum*.
26 : *Venator* teneræ conjugis *immemor*.
34 : *Lesboum* refugit tendere *barbiton*.
36 : *Sublimi* feriam sidera *vertice*.
II, 1, 1 : *Motum* ex Metello consule *civicum*
6 : *Periculosæ* plenum opus *aleæ*
III, 1, 16 : *Omne* capax movet urna *nomen*
IV, 1, 8 : *Largi* muneribus viserit *æmuli*
I, 18, 1 : *Nullam* vare sacro vite prius severis *arborem*
3 : *Mordaces* aliter diffugiunt *sollicitudines*

(1) Recte enim Nauckius : « Die gewöhuliche Interpunction : « quid mens rite, quid indoles » ist gegen die Cäsur und ausserdem sinnlos. »

IV, 16, 30 : *Longa* Tithonum minuit *senectus*, cum quo versu si comparaveris ejusdem carminis v. 29 : Abstulit clarum *cita mórs* Achillem, non casu sed eo consilio et sejuncta et conjuncta esse vocabula senties, ut motu et collocatione vim suam augeant. Gratissimum hoc trajectionis genus, quo sexcenties Horatius usus est, sæpius in fine strophæ Asclep. adhiberi solet ut :

I, 21, 12 : *Fraternaque* humerum *lyra*
16 : *Vestra* motus aget *prece*

Et in fine strophæ Alcaicæ, ut :

II, 1, 12 : *Cecropio* repetet *Cothurno*
16 : *Dalmatico* peperit *triumpho*
32 : *Hesperiæ* sonitum *ruinæ*.
3, 16 : *Fila* trium patiuntur *atra*.

2. Alterum initio unius, alterum in fine proximi versus ut :

I, 12, 19 : *Proximos* illi tamen occupavit
Pallas *honores*
III, 18, 11 : *Festus* in pratis vacat otioso
Cum bove *pagus*.
IV, 11, 11 : *Sordidum* flammæ trepidant rotantes
Vertice *fumum*.

II. Alterum in *fine* versus, alterum *initio* alius versus non continui ut :

I, 5, 8 : me tabula sacer
Votiva paries indicat *uvida*
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

I, 29, 10 : quis neget *arduis*
Pronos relabi posse rivos
Montibus, ... ubi vide quanta arte *pronos* positum sit inter *arduis* et *relabi* — quam apte *rivos* a *montibus* excipiatur.

II, 2, 19 : populumque *falsis*
Dedocet uti
Vocibus.

II, 11, 4 : *arida*
Pellente lascivos amores
Canitie.

III, 5, 19 : « et *arma*
Militibus sine cæde dixit
« *Direpta* vidi

III, 24, 5-7 : Si tigit *adamantinos*
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos.

III. Utrumque *eodem* loco versus et quidem :

1. Utrumque *initio* versuum *a. continuorum* :

I, 10, 5-7 : *Te* canam magni Jovis et deorum
Nuntium curvæque lyræ parentem
Callidum

I, 12, 31 : Et *minax* quum sic voluere ponto
Unda recumbit.

I, 21, 7 : *Nigris* aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi.

II, 6, 10 : *Dulce* pellitis ovibus Galæsi
Flumen.

13 : *Ille* terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet.

III, 11, 33 : *Una* de multis face nuptiali
Digna.

b. Non continuorum ut :

IV, 4, 7-9 : *Vernique* jam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus
Venti paventem..

2. Utrumque *in fine*.

a. Versuum continuorum.

I, 2, 13 : Vidimus flavum Tiberim *retortis*
Littore Etrusco violenter *undis*

IV, 7, 7-8 : Monet annus et *almum*
Quæ rapit hora *diem*

II, 4, 13-16. Nescias an te generum *beati*
Phyllidis flavæ decorent *parentes*
Regium certe genus et *penates*
Mæret *iniquos*

Frequentissimum hoc genus in fine strophæ Sapphicæ et strophæ Alcaicæ ut :

I, 2, 7 : Omne cum Proteus pecus egit *altos*
Visere *montes*.

27 : minus *audientem*
Carmine *Vestam*

10, 3 : catus et *decoræ*
More *palæstræ*.

7 : *jocoso*
Condere *furto*

I, 9, 3 : *geluque*
Flumina constiterint *acuto*.

I, 16, 7 : non *acuta*
Si geminant Corybantes *æra*.
11 : nec *tremendo*
Juppiter ipse ruens *tumultu*.

Abundant exempla. Rariora tamen

b. In fine versuum non continuorum, ut :

I, 20, 6-8 : simul et *jocosa*
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis *imago*.

IV, 2, 34 : quandoque trahet *feroces*
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde *Sygambros*.

3. *Alterum par initio, alterun in fine* vel duorum vel plurium versuum, ut :

I, 2, 39-40 : *Acer* et Mauri peditis *cruentum*
Vultus in *hostem*.

III, 20, 3 : *Dura* post paulo fugies *inaudax*
Prœlia raptor.

IV, 7, 28 : Nec *Lethæa* valet Theseus abrumpere *caro*
Vincula Pirithoo.

III, 18, 6-8 : *Larga* nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara *multo*
Fumat *odore*.

II, 8, 1-4 : *Ulla* si juris tibi pejerati
Pœna Barine nocuisset unquam
Dente si nigro fieres vel *uno*
Turpior *ungui*.

4. *Utrumque initio hemistichiorum* ut :

I, 15, 14 : ... *grata*que feminis
Imbelli cithara *carmina* divides.

5. *Utrumque in fine hemistichiorum.*

I, 9, 10 : Stravere *ventos* æquore fervido
Deprœliantes...

I, 23, 5 : Nam seu *mobilibus* veris inhorruit
Adventus *foliis*...

I, 26, 2 : Tradam *protervis* in mare Creticum
Portare *ventis*...

I, 27, 9 : Vultis *severi* me quoque sumere
Partem *Falerni?*...

II, 14, 15 : Non si *trecenis*, quotquot euut dies,
Amice places illacrimabilem
Plutona *tauris*...

IV. Restant multa alia trajectionis genera, quorum *frequentissima* illa duo esse videntur, in quibus aut alterum vocabulum in fine hemistichii, alterum in fine versus; aut alterum in fine versus, alterum in fine hemistichii proximi ponitur, *gratissima* vero ea, in quibus aut alterum initio versus, alterum in fine hemistichii versus sequentis; aut alterum initio hemistichii, alterum in fine versus sequentis collocatur. Quorum hæc sunt exempla :

1). I, 1, 7-10 : Hunc si *mobilium* turba *Quiritium*
Certat *tergeminis* tollere *honoribus*
Illum si *proprio* condidit *horreo*
Quidquid de *Libycis* verritur *areis*.

Vel gratius in fine hemistichii et in fine versus *sequentis :*

I, 12, 11 : Blandum et *auritas* fidibus canoris
Ducere *quercus*.

II, 2, 23 : Quisquis *ingentes* oculo inretorto
Spectat *acervos*.

III, 18, 15 : Gaudet *invisam* pepulisse fossor
Ter pede *terram*.

2) I, 1, 16 : otium et *oppidi*
Laudat rura *sui*.
I, 31, 2 : ... quid orat de patera *novum*
Fundens *liquorem*.
II, 17, 9 : ... Non ego *perfidum*
Dixi *sacramentum*.
IV, 4, 69 : Carthagini jam non ego *nuntios*
Mittam *superbos*.

3) II, 3, 1 : *Æquam* memento rebus in arduis
Servare *mentem*.
II, 17, 21 : *Utrumque* nostrum incredibili modo
Consentit *astrum*.
II, 19, 1 : *Bacchum* in remotis carmina rupibus
Vidi *docentem*.

4) I, 20, 3 : *datus* in theatro
Cum tibi *plausus*.
II, 6, 15 : *viridique* certat
Baca *Venafro*.

Pulcherrima et audacissima trajectionis exempla sunt I, 22, 9-12 et III, 4, 9-12, ubi vocabulorum alterum (alterum par) initio, alterum in fine strophæ collocatur :

I, 22, 9 : Namque *me* silva lupus in Sabina
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis
Fugit *inermem*.

III, 4, 9 : *Me fabulosæ* Volture in Apulo

Altricis extra limen Apuliæ
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova *puerum palumbes*
Texere.

Notanda hoc loco est illa verba trajiciendi ratio, qua pars sententiæ principalis in sententiam secundariam transmittitur ut :

I, 15, 3 : Ingrato celeres obruit otio
Ventos ut caneret fera
Nereus fata,... ubi *Nereus* pertinet ad « *obruit*. »
I, 16, 8 : ubi *Corybantes* eodem modo transpositum est.
I, 22, 17 : Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura.

Ad quem locum Nauckius : « Man construire : Pone me pigris, ubi nulla arbor recreatur, campis. Nach *me* ein Komma zu setzen verbietet die Cäsur und hauptsächlich das parallele « pone sub curru. »

IV, 7, 7-8 : almum quæ rapit *hora* diem.

Quod vero Nanckius IV, 15, 2 (1) lyrâ ad *loqui* (v. 1) non ad *increpuit* pertinere affirmat, recte a Dillenburgero vituperari videtur, qui laudatis Ovid. A. A. II, 493 (2) Virq. Buc. 6, 3 (3) : Cave, inquit, ne jungas

(1) Phœbus volentem prœlia me loqui
Victus et urbes increpuit lyra.
Cui loco cur Nauckius hunc :
Epod. X, 3 : Ut horridis utrumque verberes latus
Auster memento fluctibus.
simillimum esse dicat, non video. Nemo enim « memento fluctibus » eodem vel simili modo conjungi posse dixerit ac « increpuit lyra. »

(2) Hæc ego cum canerem subito manifestus Apollo
Movit inauratæ pollice fila lyræ.

(3) Cum canerem reges et prœlia Cynthius aurem
Vellit et admonuit.

« loqui lyra, » quo perversius vix quidquam potest cogitari. Certe « aliquem aliqua re increpare » minus audaciæ mihi habere videtur, quam Nauckii trajectio.

Jam vero ad aliam figuram transeundum trajectioni oppositam sæpe tamen cum ipsa conjunctam, qua vocabula, quæ *logica* ratione aut cognata aut contraria sunt continenter alterum juxta alterum ponuntur ut conjunctione et concursu fortius aures animosque legentium commoveant. Dicam igitur primum de verbis cognatis, deinde de verbis contrariis continenter conjunctis.

CAPUT TERTIUM.

DE VOCABULIS CONTINENTER CONJUNCTIS.

A. *De verbis cognatis*.

Primum exempla afferam verborum, quorum similis est significatio, deinde eorum, quæ causam et effectum indicant, tum eorum, quæ ἓν διὰ δυοῖν efficiunt.

1. *a*. *Verba synonyma* vel similia his locis conjuncta sunt.

I, 3, 26 : Gens humana ruit per *vetitum nefas*
ubi certe neque « vetitum et nefas », neque « vetitum in nefas » neque vetitum, nefas! corrigendum est. Adjectivum enim, ut dicit Dillenb., non sine magna vi additum. Egregie enim sic indicatur, non nescientes peccare homines, sed ruere eos per scelera quæ scelera esse sciant. Est idem quod Ovidius

dicit : Nitimur in vetitum cupimusque semper negata. Cf. v. 23, *impiæ non tangenda*. Itaque non est tautologia vel pleonasmus, quo crimine eum accusare dubitaverim qui dixit Sat. I, 10, 9 :

Est brevitate opus ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures.

Similes loci sunt

I, 4, 8 : Vulcanus *ardens urit* officinas, ubi neque Bentleiana emendatione *visit*, quam Keller et Holder ex (Aλκ) receperunt, neque Scaligeriana *urget* opus esse videtur.
I, 17, 5 : *Impune tutum* per nemus arbutos Quærunt.
« Hæc cumulatio summam gregis securitatem exprimit, Pedestrem orationem redolet : *totum* (Bentl.) nemus. » Orelli.

III, 18, 11 : Festus in pratis *vacat otioso*
Cum bove pagus.
III, 4, 48 : Imperio regit *unus æquo*.
IV, 2, 10 : Seu per *audaces nova* dithyrambos
Verba devolvit.

b. Verba idem genus, familiam, societatem indicantia conjuncta sunt :

I, 1, 23 : Et *lituo tubæ* permixtus sonitus.
I, 4, 6 : Junctæque *Nymphis Gratiæ* decentes cf IV, 7, 5.
I, 31, 2 : Quid dedicatum poscit *Apollinem Vates*.
IV, 9, 5 : Non, si priores Mæonius tenet
Sedes *Homerus*, *Pindaricæ* latent (Camenæ) cf. I, 13, 1.
IV, 4, 27 : *paternus In pueros* animus Nerones.
III, 1, 4 : *Virginibus puerisque* canto.

IV, 11, 10 : Cursitant mixtæ *pueris puellæ*
22 : *juvenem puella.*

c Flores, colores et unguenta conjuncta habes :

I, 4, 9 : *Viridi nitidum* caput impedire myrto.
I, 13, 1-2 : Cum tu Lydia Telephi Cervicem *roseam cerea* Telephi Laudas Brachia...
II, 7, 7 : *Coronatus nitentes*... capillos.
II, 11, 15 : *Canos odorati* capillos.

Cf. colores inter se pugnantes pag. 54.

2. Verba, quæ *causam et effectum* indicant, se excipiunt :

I, 4, 10 : Aus *flore terræ* quem ferunt solutæ.
II, 9, 1 : Non semper *imbres nubibus* hispidos Manant in agros.
IV, 2, 5 : Monte decurrens velut *amnis, imbres* Quem super notas aluere ripas.
I, 3, 5 : Navis quæ tibi *creditum Debes* Virgilium, quæ vocabula sunt de pecunia in fenus data. Cf. I, 24, 12 : *creditum poscis*, quod παράδοξον est.

I, 10, 17 : Tu *pias lætis* animas reponis sedibus.
Cf. IV, 5 24 : *Culpam pœna* premit comes.
III, 2, 25 : Est et *fideli tuta* silentio merces.
I, 12, 23 : *Metuende certa* Phœbe sagitta.
C. S. 61 : *Fulgente decorus* arcu Phœbus
I, 28, 6 *morituro. Occidit.*
I, 31, 10 : *Dives et aureis* Mercator exsiccet culullis
IV, 12, 24 : *Plena dives* ut in domo. III, 1, 16 : *omne capax* movet urna nomen

II, 6, 17 : Sit *modus lasso* maris et viarum Militiæque.
II, 14, 14 : *Fractisque rauci* fluctibus Hadriæ.
III, 3, 5 : Dux *inquieti turbidus* Hadriæ
III, 13, 9 : Et *flagrantis atrox* hora Caniculæ.
III, 2 11 : ... Quem cruenta Per medias rapit *ira cædes.*
22 : negata tentat *iter via.*
III, 27, 1 : *Æli vetusto nobilis* ab Lamo.
IV, 6, 39 : *celerem*que *pronos* Volvere menses. cf. I, 12, 9; III, 11, 14.
IV, 12, 31 : *Operosa parvus* Carmina fingo.

3. Verba conjuncta ἓν διὰ δυοῖν efficiunt :

I, 6, 9 : ... dum *Pudor Imbellisque* lyræ Musa potens vetat, quod idem est ac : pudica et imbellis Musa.
II, 11, 6 : Levis juventas et decor pro : levis et decora juventas.
III, 3, 1 : *Justum* et *tenacem* propositi virum, quod explicat Nauck : « constantem justitiæ, » also ἓν διὰ δυοῖν. daher v. 9 : hac harte, nicht : his hartibus.
III, 24, 13 : *Fruges* et *Cererem* ferunt, id est : Fruges Cereris vel Cereales.

Etiam IV, 2, 28 : *more modoque* dictum mihi esse videtur pro : more modesto. Certe non est nostrum : « Art und Weise » quod a poetica elegantia abhorrere planeque inficetum esse quis est qui non sentiat (1).

(1) Quod omnes fere post Orellium dixerunt : « *more modoque* formulam esse Latinam » dubito an nullum alium locum adduxerint viri docti quam Cic. Tim. 1 : « multa sunt nobis Carneadeo *more et modo* disputata. » Scio hoc loco illa verba non significare « more modesto ; » nam : « violenta et rapida Carneades dicebat » Gell. N. A. VI, 14 ; sed quid impedit, quin « apis Matinæ mos modusque » sit mos modestus

Mitscherlich. interpretatur : « *more* circa flores vagandi et *modo* mellis inde conficiendi » quod ne nimis quæsitum sit ipse veritus addit : si omnino diversa notione posuit poeta.

Fortasse etiam I, 1, 16 : *otium et oppidi laudat rura sui* ἓν διὰ δυοῖν esse dixeris pro *otiosa oppidi rura*.

B. « Verba *opposita* juxta posita clarius elucere » ut Quintilianus dicit, et multa alia et hæc Horatiana sunt exempla :

1. ἀντίθετα

I, 3, 10 : qui *fragilem truci* Commisit *pelago ratem*
I, 7, 15 : *Albus* ut *obscuro* deterget *nubila cœlo* Sæpe Notus.
I, 4, 4 : Nec *prata canis albicant* pruinis
I, 34, 6 : Igni *corusco nubila* dividens
I, 9, 16 : Donec *virenti canities* abest Morosa.
II, 5, 19 : Ut *pura nocturno* renidet *Luna mari*.
IV, 8, 7 : Hic *saxo*, *liquidis* ille coloribus
I, 32, 3 : Age dic *Latinum Barbite* carmen

Est enim « εὕρημα Ἀνακρέοντος τὸ βάρβιτον » (Athen. IV, p. 175) sed Horatius dicetur : Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos III, 30, 13.

II, 1, 31 : auditumque *Medis Hesperiæ* sonitum ruinæ
III, 3, 37 : Dum longus inter sæviat *Ilion-Romamque* pontus.

Carneadeus « mos et modus » mos immoderatus, rapidus? Neque, quod Orellius dicit : « Mos naturam et ingenium, modus usum et consuetudinem significat, » sed contra : « modus ist die Artund Weise, insofern dieselbe durch das *Mass der Fähigkeiten* bestimmt wird. » (F. Schultz. Lat. Synonym.)

IV, 4, 42 : Dirus per urbes *Afer* ut *Italas* (equitavit).
I, 6, 9 : Conamur *tenues grandia*.
I, 35, 4 : Vertere *funeribus triumphos*.
I, 28, 15 : Sed *omnes una* manet nox
II, 3, 35 : *Omnes eodem* cogimur.
III, 1, 14 : ... illi turba clientium Sit *major : æqua* lege Necessitas...
I, 12, 37 : Animæque *magnæ Prodigum* Paulum. cf. I, 18, 16.
I, 12, 9 : *Rapidos morantem* fluminum lapsus.
III, 11, 14 : Rivos *celeres morari*.
II, 13, 33 : *Dulci laborum* decipitur sono
III. 12, 1 : *Dulci mala* vino lavere.
II, 3, 4 : *Lætitia ! moriture* Delli. cf. IV, 8, 28 : Dignum laude virum Musa vetat *mori Cœlo* Musa beat.
III, 14, 13 : Hic dies vere mihi *festus atras* Eximet curas.
III, 18, 15 : *Gaudet invisam* pepulisse fossor Ter pede terram.
IV, 4, 31 : neque *imbellem feroces* Progenerant *aquilæ columbam*. IV, 7, 9 : heredis, amico.
III, 16, 8 : Converso in *pretium deo*.
» » 15 : (subruit æmulos) *Reges muneribus*. Reges corrumpuntur, deus convertitur in aurum !
III, 2, 9 : (ne) Sponsus lacessat *regius asperum* Tactu leonem.
III, 5, 33 : Qui *perfidis se credidit* hostibus. III, 7, 12 : *perfida credulum*.
III, 27, 25 : *doloso credidit*. III, 21, 15 : ... *arcanum jocoso* Consilium retegis Lyæo.
IV, 10, 3 : Et quæ nunc humeris *involitant, deciderint* comæ.

2. παράδοξα, quæ *effectum causæ contrarium* indicant.

I, 22, 12 : (Me lupus) *fugit inermem.*
I, 24, 12 : Non ita *creditum Poscis* Quintilium deos. *Creditum* enim *reddere* oportet, non *poscere*. Cf. I, 3, 6-7.
I, 29, 10 : ... quis neget *arduis Pronos relabi* posse *rivos Montibus*.
I, 35, 5 : Te *pauper ambit* sollicita prece. *Ambire* enim est auro corrumpere conantium.
II, 8, 10 : *Pauperem*que *dives* Me petit.
III, 8, 1 : *Martiis cælebs* quid agam calendis i. e. : Matronalia cur celebrem cælebs?
II, 42 : ... *insolentem serva* movit v, 6, *captivæ dominum* forma.
II, 16, 17 : Quid *brevi fortes* jaculamur ævo?
I, 8, 2 : *amando perdere*
I. 27, 11 : *beatus vulnere*.
II, 12, v. 7 : *gaudeat eripi*.
III, 4, 42 : Scimus ut impios — Fulmine *sustulerit caduco*. Quod *cadit*, *tollere* non solet.

Quamquam *caducum fulmen* non est : « der hinfällige Blitz » (Peters) sed « der einschlagende Blitz, » la foudre qui tombe, fulminis ictus.

IV, 4, 31 : neque *imbellem feroces*
Progenerant *aquilæ columbam*.
IV, 4, 53 : Gens quæ *cremata fortis* ab Ilio.
66 : *proruit integrum*
ut I, 35, 13 : Injurioso ne pede *proruas stantem* columnam.

3. ὀξύμωρα :

I, 18, 6 : *Fides prodiga*.
I, 22, 16 : *arida nutrix*.
I, 34, 3 : *Insanientis* dum *sapientiæ*
Consultus erro : So lang ich *wahnsinnger Weisheit kundig irrte*.
III, 4, 5 : *amabilis Insania*
III, 6, 44 : Tempus *agens abeunte* curru
agens = *adducens* Verg. B. VIII, 17.
III, 11, 35 : *splendide mendax*, ut poeta noster Schiller : « ein heilger Raub » (Nauck).
III, 21, 13 : *lene tormentum*.
III, 25, 18 : *dulce periculum*

4. *Pronomina* personalia.

Non *ego te* : I, 18, 11 ; 23, 9. Nil sine *te mei* Prosunt honores I, 26, 9.

Non *ego te meis* : IV, 9, 30; IV, 12, 22.

II, 17, 2 : nec *mihi te* prius Obire.
» » 5 : Ah! *te meæ* si partem animæ rapit.
II, 6, 21 : *Ille te mecum* locus et beatæ postulant arces, ubi « ille locus » gratissime inclusos tenet amicos.
II, 13, 10 : agro qui statuit *meo Te* triste lignum
III, 3, 33 : *illum ego* lucidas inire sedes patiar III, 11, 42 *ego illis* mollior.

CAPUT QUARTUM.

De Parallelismo et Chiasmo.

Venio ad figuras frequentissimo atque elegantissimo poetæ nostri usu insignes : Parallelismum et Chiasmum.

Ac Parallelismus (1) quidem est ea structura, qua vocabulorum altera pars alteram *eodem* ordine excipit ut I, 24, 7 : Incorrupta fides nudaque veritas.

Chiasmus (2) vero est ea structura, qua vocabulorum altera pars alteram *inverso* ordine excipit, ut I, 22, 1 : Integer vitæ scelerisque purus.

Utraque autem figura est :

1. Aut continua aut interrupta.
2. Bimembris, trimembris vel plurium membrorum.
3. Simplex aut composita.

De singulis ordine agendum.

I. Figura continua est, si omnia vocabula inter extrema inclusa ad eam pertinent ut :

Parall. continuus : IV, 6, 24 potiore ductos Alite muros

Chiasm. continuus : I, 6, 27 Teucro duce et auspice Teucro

Interrupta est figura, si inter extrema alia vocabula interjecta sunt, quæ non ad figuram pertinent ut :

I, 7-9 : Aptum — dicet equis — Argos ditesque Mycenas ubi « dicet equis » ita interjecta sunt, ut nihil respondeat in altera figuræ parte.

Figuras interruptas longe frequentiores esse quam continuas non est cur dicam. Notandum vero conjunctionibus ac præpositionibus figuram vix interrumpi neque magis disjungi quam conjungi vocabulo ita in *media* figura interposito ut utrinque spectet aut semel positum bis cogitandum sit ut :

I, 8, 6 : Gallica nec lupatis — Temperat — ora frenis

(1) Cur Peters Nägelsbachii exemplum secutus hanc figuram anaphoram maluerit appellare, qua voce notum est repetitionis genus significari, mihi non satis perspectum esse fateor.

(2) A græca voce χιάζειν h. e. græcam literam X exprimere germ. kreuzstellung gall. entrecroisement.

I, 29, 14 : Socraticam et domum — mutare — loricis Hiberis

IV, 6, 29 : Spiritum Phœbus — mihi — Phœbus artem (dedit)

I, 21, 7 : Nigris aut Erymanthi — Silvis — aut viridis Cragi.

II. Figura bimembris, trimembris vel plurium membrorum est pro numero vocabulorum utrinque positorum ut : Parall. bimembris I, 11, 6 : Spatio brevi spem longam reseces. Chiasm. bimembris I, 28, 32 : Debita jura vicesque superbæ.

Abundant exempla, quæ vel verba et nomina vel quatuor substantiva vel substantiva et adjectiva habent. De binis substantivis cum binis adjectivis varie conjunctis vide infra.

Quatuor substantiva posita sunt :

a. παραλλήλως :

I, 7, 3 : vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos Insignes

I, 36, 11 : neu promptæ *modus amphoræ*
neu morem in salium sit *requies pedum*

II, 15, 11 : Catonis auspiciis veterumque norma.

b. χιαστικῶς :

I, 28, 7 : Pelopis genitor conviva deorum

II, 13, 4 : In nepotum Pernicien opprobriumque pagi

III, 30, 5 : Annorum series et fuga temporum.

Cf. I, 7, 27; I, 37, 6.

Verba et nomina

a. παραλλήλως :

I, 4, 12 : Seu poscat agna sive malit hœdo,
IV, 12, 3 : Jam nec prata rigent nec fluvii strepunt.

b. χιαστικῶς :

II, 10, 15 : Hiemes reducit Jupiter, idem Summovet.
III, 24, 24 : Et peccare nefas aut pretium est mori
II, 10, 1 : Rectius vives, Licini, neque *altum*
Semper *urgendo* neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium *premendo*
Litus *iniquum*.

Ubi animadverbas velim perfectum chiasmum ὁμοιοτελεύτων : um — endo — endo — um, alternantibus locis dispositorum.

Parall. *trimembris* :

I, 1, 9-10 : Si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis
I, 10, 9 ubi : minaci voce terret
viduus pharetra risit

gratissima elegantia iuter se opposita et inter Puerum — Apollo inclusa sunt.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

II, 3, 21 : Divesne prisco natus ab Inacho — Nil inter
est, an pauper et infima de gente
III, 3, 7, : Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.
» 6, 21 : Quanto quisque *sibi plura negaverit*
Ab dis plura feret.

Chiasmus *trimembris* :

I, 27, 6 : Impium Lenite clamorem-sodales
Et — cubito remanete presso.
I, 34, 3 : Nunc retrorsum Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos.

Ubi adverbium : *retrorsum* respondet adj. *relictos*.

II, 6, 14 : ... Ubi non Hymetto
Mella decedunt (viridique) certat
Baca Venafro.
II, 13, 5 : Illum et *parentis* crediderim sui
Fregisse cervicem et *penetralia*
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis

Parentis fregisse cervicem — penetralia sparsisse hospitis.

II, 16, 21 : Scandit æratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit

Scandit æratas naves — turmas equitum relinquit.

Bene ad vv. 23-24 : Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro

Nauckius : « ocior cervis » ist mit Beziehung auf die Reitergeschwader, « ocior Euro » mit Beziehung auf die Schiffe gesagt. Auch ein Chiasmus. —

III, 8, 13 : *Sume*, Mæcenas, *cyathos* amici
Sospitis *centum* et *vigiles lucernas*
perfer in lucem

Sume cyathos centum — vigiles lucernas perfer.

III, 27, 22 : Motus orientis Austri- Æquoris nigri fremitum.
IV, 5, 17 : bos rura perambulat — nutrit rura Ceres.
IV, 7, 9 : Frigora mitescunt Zephyris — ver proterit æstas

« wo die Gegensätze : Winter und Sommer am Anfange und Ende sich entgegentreten, die Zephyre dagegen mit dem Frühlinge die Mitte einnehmen. » Peters.

IV, 9, 25 : Vixere fortes multi — omnes illacrimabiles urgentur.

Parall. *quatuor* membrorum :

III, 5, 1 : Cœlo tonantem credidimus Jovem

Regnare præsens divus habebitur Augustus.

III, 19, 25 : Spissa te nitidum coma
Puro te similem, Telephe, Vespero.

Chiasmus *quatuor* membrorum :

II, 9, 1 : Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque

Non semper imbres manant in agros — mare vexant procellæ usque.

Vide ne cum Peters pag. 23 quinque membrorum hunc chiasmum esse putes; nam : hispidos manant, Caspium vexant παραλλήλως chiasmo immixta sunt.

Parall. *quinque* membrorum :

IV, 4, 9 : mox in ovilia

Demisit hostem vividus impetus
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ.

Mox in ovilia demisit impetus — Nunc in dracones egit amor.

Chiasm. *quinque* membrorum :

III, 1, 45 : Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Invidendis postibus sublime moliar atrium — valle permutem Sabina divitias operosiores. Ubi respondent inter se : invidendis-operosiores ; postibus-divitias; sublime-Sabina; moliar-permutem; atrium-valle.

III. Figura simplex aut composita. Compositio autem est aut ejusdem figuræ sæpius repetitæ aut utriusque conjunctæ, quo fit ut hæc potissimum compositæ figuræ genera oriantur :

1. Plures Parallelismi se excipiunt, ut :

I, 4, 13 : Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres
II, 10, 13 : Sperat infestis metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.
III, 3, 33-36 : illum ego lucidas
Inire sedes, *ducere* nectaris
Sucos et *adscribi* quietis
Ordinibus patiar deorum
IV, 9, 9 : Nec si quid olim lusit Anacreon

Delevit ætas, spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ

Lusit Anacreon — delevit ætas — spirat amor — vivunt calores. Quamquam sub forma parallelismi latet chiasmus sententiæ : Non Anacreontea deleta sunt — vivunt Sapphica.

2. Plures chiasmi se excipiunt :

I, 16, 9 : Noricus ensis — mare naufragum — sævus ignis — Jupiter ruens.
II, 1, 2-4 : Belli causas — Ludum fortunæ — Principum amicitias

quæ præclare initiis versuum continuorum posita sunt.
III, 13, 10 : Frigus amabile — fessis tauris — pecori vago.

3. Parallelismum chiasmus excipit :

IV, 7, 1 : Diffugere nives redeunt jam gramina campis, Arboribusque comæ.
III, 4, 22 : arduos Sabinos, frigidum Præneste — Tibur supinum, liquidæ Bajæ.

4. Chiasmum Parallelismus excipit :

III, 9, 21 : Quamquam sidere pulchrior
Ille est tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria

Sidere pulchrior ille — tu levior cortice — iracundior Hadria.

IV, 6, 29 : Spiritum Phœbus mihi Phœbus artem
Carminis nomenque dedit poetæ

III, 16, 1-4 : Inclusam Danæn turris ænea
Robustæque fores et vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris

5. Parallelismi per chiasmum conjuncti sunt :

I, 35, 25 :
volgus infidum
meretrix perjura cedit — diffugiunt cadis siccatis
amici dolosi

Chiasmus trimembris : *meretrix perjura cedit* — *diffugiunt amici dolosi* initio et in fine habet parallelismos.

I, 12, 27-32 :

alba nautis Stella refulsit
Defluit humor
concidunt venti
fugiunt nubes
minax-ponto Unda recumbit

Habes duos parallelismos quatuor membrorum initio et in fine mira arte ita collocatos, ut et sono et motu verborum similes sint : alba nautis Stella refulsit
minax ponto Unda recumbit
cum tribus parallelismis mediis χιαστικῶς conjunctos : Stella refulsit-Defluit humor; fugiunt nubes-unda recumbit.

Cf. III, 12, 12-16 :

Catus idem per apertum Fugientes agitato Grege [cervos jaculari
et celer arto Latitantem fruticeto [excipere aprum

— ubi omnia παραλλήλως posita sunt præter fines sententiarum : cervos jaculari-excipere aprum.

II, 4, 13-16. Nescias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes;
Regium certe genus et penates
Mœret iniquos

ubi chiasmus « beati parentes-penates iniquos » pulchre in extremis versibus collocatus est.

6. Tandem utriusque figuræ varia arte mixtæ et conjunctæ præclara aliqua exempla afferam :

II, 7, 12-16 :

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit ære :
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis

Habes Parall. quatuor membrorum :

Me per hostes Mercurius sustulit
Te in bellum unda tulit

ita disposita, ut iterum χιαστικῶς se excipiant :

Mercurius celer — denso.... ære
Resorbens unda — fretis.... æstuosis

IV, 3, 3-12 :

Non labor Isthmius clarabit pugilem
Non equus impiger ducet victorem
Neque res bellica ducem ostendet
Sed aquæ et comæ fingent nobilem

ubi chiasmus : « ducet victorem — ducem ostendet » propter vocum et numeri similitudinem vix sentitur.

I, 12, 45-48 :

Crescit occulto velut arbor ævo

Fama Marcelli; micat inter omnes
Julium sidus velut inter ignes
Luna minores

Parallelismi : crescit fama
micat sidus
velut arbor
velut luna

χιαστικῶς mixti :

Fama Marcelli — Julium sidus
occulto arbor ævo — inter ignes luna minores.

IV, 9, 25-28 :

Vixere fortes multi — omnes illacrimabiles urgentur.
urgentur longa nocte
carent vate sacro.

Cf. I, 12, 17 : Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum.
II, 16, 5 : Otium bello furiosa Thrace
Otium Medi pharetra decori
III, 9, 4 : Persarum vigui rege beatior
9 : Romana vigui clarior Ilia.
IV, 5, 7-8 : gratior it dies — Et soles melius nitent
C. S. 34-36 : audi pueros Apollo — audi Luna puellas

Sunt alia præter hæc, quæ enumeravi, Parallelismi et chiasmi genera, quorum jucundam elegantiam facilius auribus et animo percipere, quam ad frigidas formulas revocare possis. Silentio tamen præterire nolo Parallelismum *metricum*, qui cum Parall. logico conjunctus quam grate huius vim augeat, docent exempla quædam jam allata ut I, 9, 4-8 Persarum vigui rege beatior
Romana vigui clarior Ilia.

cf. I, 12, 27-28 et 31, 32. nautis Stella refulsit — ponto Unda recumbit.

Sine parall. logico parall. metricus illius locum jucunda fraude explere videtur, ut :

I, 21, 1 : Dianam teneræ dicite virgines
Intensum pueri dicite Cynthium
II, 10, 5 : Auream quisquis mediocritatem
Diligit tutus *caret obsoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula.*
III, 1, 5, 6 : *Regum* timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis
IV, 2, 14-16 : *cecidere* justa Morte Centauri
cecidit tremendæ Flamma Chimæræ cf. ib. v. 23, 24.

Restat ut frequentissimam illam figuram bimembrem Horatianis exemplis illustrem, qua bina substantiva cum binis adjectivis tam varia arte conjungi solent, ut duodecim diversa genera huius figuræ in carminibus invenerim. Quæ quo facilius exemplis Horatianis explicare possim, substantiva magnis literis A, B, adjectiva parvis a b notare liceat.

1, **ab AB** figura longe frequentissima :

I, 2, 11 : Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
» 5, 14 : ... uvida suspendisse potenti
vestimenta maris deo.
» 9, 7 : Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche, merum diota.
» 10, 17 : Tu pias lætis animas reponis Sedibus.
» 12, 9 : Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis

» 20, 1 : Vile potabis modicis Sabinum Cantharis
» 28, 19 : nullum — Sæva caput Proserpina fugit.
» 31, 5 : Non æstuosæ grata Calabriæ Armenta.
» » 10 : dives et aureis Mercator exsiccet culullis
» 25, 13 : Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam.

Cf. II, 5, 19; 16, 21; III, 6, 4; 6, 35; 18, 5; 24, 40; IV, 1, 34; 2, 7, 10, 25; 6, 23; IV, 7, 17; 8, 31; 14, 47

C. S. 59 : beata pleno Copia cornu.

2. **ab AB**

II, 3, 15 : sororum Fila trium patiuntur atra
IV, 1, 30 : Spes animi credula mutui
» 14, 37 : Fortuna lustro prospera tertio

3. **aA bB**

I, 4, 1 : Solvitur acris hiems grata vice veris
II, 3, 13 : breves Flores amœnæ ferre jube rosæ
III, 16, 2 : vigilum canum tristes excubiæ
» 18, 7 : vetus ara multo Fumat odore

4. **Aa Bb**

I, 4, 15 : Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam
» 16, 1 : O matre pulchra filia pulchrior
III, 16, 5 : Virginis abditæ Custodem pavidum

5. **ab BA**

I, 3, 10 : qui fragilem truci Commisit pelago ratem.
5, 1 : Quis multa gracilis te puer in rosa
12, 22 : Sævis inimica virgo Beluis

12, 43 : avitus apto Cum lare fundus
20, 6 : ... jocosa Redderet laudes tibi Vaticani montis imago
29, 10 : quis neget arduis — Pronos relabi posse rivos Montibus
33, 5 : Insignem tenui fronte Lycorida
35, 5 : Te pauper ambit sollicita prece Ruris colonus
35, 7 : Quicunque Bithyna lacessit Carpathium pelagus carina.

cf. II, 12, 15; III, 18, 11; 26, 5; 27, 25; IV, 4, 31, al.

6. **aB bA**

I, 8, 29 : Ambiguam tellure nova Salamina futuram
27, 23 : latentes Classe cita reparavit oras.
II, 3, 1 : Æquam memento rebus in arduis Servare mentem.
» 11 : Quid obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo
III, 11, 25 : et in omne virgo Nobilis ævum.
15, 10 : Pulso Thyias uti concita tympano.
III, 16, 25; 17, 4; 18, 9; IV, 1, 4; 2, 2; 11, 15.

7. **AB ba**

III, 7, 13 : Ut Prœtum mulier perfida credulum.

8. **Ab Ba**

I, 1, 22 : ad aquæ lene caput sacræ
» : Venator teneræ conjugis immemor
10, 14 : Ilio dives Priamus relicto
IV, 1, 26 : Numen cum teneris Virginibus tuum.

9. **aA Bb**

I, 10, 2 : Qui feros cultus hominum recentum

31, 3 : non opimæ Sardiniæ segetes feraces
37, 25 : Ausa et jacentem visere regiam Voltu sereno
II, 4, 15 : Regium certe genus et penates Mœret iniquos.
III, 4, 31; 6, 35; 16, 1; 21, 13; IV, 2, 21. C. S, 9.

10. **Aa bB**

I, 12, 37 : animæque magnæ Prodigum Paulum.
17, 11 : Usticæ cubantis Levia personuere saxa
35, 9 : Te Dacus asper te profugi Scythæ.
II, 3, 9 : quo pinus ingens albaque populus
II, 6, 17; 10, 23.
III, 5, 5 : Conjuge barbara Turpis maritus vixit (1)
23, 20 : Farre pio et saliente mica.

11. **aB Ab**

II, 8, 11 : gelidaque divos Morte carentes
IV, 4, 13 : lætis caprea pascuis Intenta
» » 42 : Dirus per urbes Afer ut Italas
8, 13 : Non incisa notis marmora publicis

12. **Ab aB**

I, 1, 4 : metaque fervidis Evitata rotis
I, 5, 13 : me tabula sacer Votiva paries
I, 14, 5 : Et malus celeri saucius Africo
17, 14 : hic tibi *copia* Manabit ad plenum *benigno* Ruris honorum *opulenta cornu.*
31, 12 : Vina Syra reparata merce.
III, 1, 21; 8, 22;

(1) Dillb. ad h l. : « Locus quem occupavit verbum magnam ei tribuit vim. » Majorem mihi vim verbum habere videatur initio positum : « Vixit maritus turpis » sed periret gravis chiasmus.

IV, 7, 13 : Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ.

Nota *verborum* in his figuris variam positionem :

1. ante primum vocabulum.

II, 6, 29 : *Abstulit* clarum cita mors Achillem

2. post primum voc.

I, 20, 1 : Vile *potabis* modicis Sabinum Cantharis

3. in media sent.

III, 2, 11 : Omne capax *movet* urna nomen

4. ante ultimum vocabulum

III, 21, 15 : arcanum jocoso Consilium *retegis* Lyæo.

5. post ultimum vocab.

I, 28, 20 : nullum Sæva caput Proserpina *fugit*.

« *Tria* etiam substantiva cum suis adjectivis ita Horatius disposuit, ut non casum neque metri solam necessitatem sed consilium et artem sequeretur » Dillb. Cuius rei Dillenb. hæc affert exempla

I, 9, 21 : latentis proditor intimo a b c
Gratus puellæ risus ab angulo A B C.
a b c A B C

III, 11, 26 :
inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo
a B A C b c

quibuscum conferas velim :

II, 9, 13 : At non ter æro functus amabilem

Ploravit omnes Antilochum senex
Annos
a b c A B C

ubi non sine arte ab et AB conjuncta, « omnes-Annos » disjuncta atque conspicuis locis posita esse facile vides

I, 15, 35 : post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos

II, 6, 18 : amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis
a A b B c C.

III, 4, 22 : seu mihi frigidum
Præneste seu Tibur supinum
Seu liquidæ placuere Bajæ. aABbcC.

III, 24, 5 : Si figit adamantinos
Summis Verticibus dira Necessitas
Clavos
abBcCA.

CAPUT QUINTUM.

De Asyndeto et Polysyndeto.

Asyndeton appellatur ea structura verborum, quæ conjunctionibus, imprimis copulativis (et, que, atque) et disjunctivis (neque, vel, aut, sive) caret;

Polysyndeton, quæ conjunctionibus abundat.

Horatius sententias ἀσυνδέτως, sententiæ partes πολυσυνδέτως conjungere solet. Cuius rei unum pro multis sit exemplum III, 2, 17-24; ubi *nec*, *aut* v. 19 respondet *que*, *et* v. 23.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,

Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Virtus recludens immeritus mori
Cælum negata tentat iter via,
Cœtusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Quod vero dicunt poetarum imprimis lyricorum esse sententias breviter et commode dictas sine conjunctionibus ita ponere, ut qua ratione inter se cohæreant non magis videre quam sentire possis, Horatius illam legem ita secutus est, ut a multis quidem conjunctionibus, quorum frequens in sermonibus usus est, in carminibus omnino abstinuerit (1), alias, qnas a poetica elegantia alienas esse et alii et Teuffel (2) in historia literarum Romanarum judicavit, rarius adhibuerit, alias vero ut *dum*, *donec*, *sed*, *et*, *neque* (3), et sæpius adhibere et conspicuis locis collocare non dubitaverit. Longe maximam tamen sententiarum partem ἀσυνδέτως poni omnia fere carmina sunt testimonia. Jam pauca afferam exempla, quibus ostenditur quæ sit huius figuræ vis et quo jure Cornific. IV, 30, 41 dixerit : « Hoc genus et acrimoniam habet in se et vehementissimum est et ad brevitatem accomodatum, » et Aristoteles Rhetor. III, 12, 2 sq. Ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα. ἐν ἴσῳ

(1) cf. Beste, De genere dicendi Hor. qui enumerat has : vero, autem, attamen, tamquam, prout, quomodo, igitur, ideo, ideirco, quoniam, nimirum, quo. quin, quominus, dummodo, simulac, simulatque, quoad.
(2) sunt hæ : atqui (I, 23, 9; III, 5, 49; 7, 9) quodsi (I, 1, 35; III, 1, 41) namque (I, 22, 9,; 34, 5; IV, 1, 13) etenim (IV, 5, 17) ergo (I, 24, 5; II, 7, 17). cf. ut tamen (IV, 11, 13).
(3) III, 1, 37-39 sed-et-neque, *dum* et *sed* plus quam vigesies, *donec* quater initio stroph. I, 9, 17; III, 5, 43; 9, 1, 5.

γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι. Ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά, ὥστε ἂν ἐξαιρεθῇ δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά. Ἔχει οὖν αὔξησιν.

I, 1, 15 sq. : Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi
Laudat rura sui — mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

ubi ἀσυνδέτῳ augetur ἀπροσδόκητον.

I, 22, 17, sq. : Pone — Pone — amabo.
II, 7, 22 : Oblivioso levia Massico
Ciboria *exple, funde* capacibus
Unguenta de conchis.

Nauck. : Das Asyndeton malt die Eile.

IV, 4, 65 sq. : Merses profundo, pulchrior evenit :
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem.
III, 8, 25 : Neglegens ne qua populus laboret
Parce privatus nimium cavere;
Dona præsentis *cape* lætus horæ,
Linque severa

ubi nolim cum Keller et Holder : cavere et, horæ ac legere, codices secutus si non optimos, ut Dillenb. dicit, tamen bonos.

IV, 9, 41 : Iudex honestum prætulit utili
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

ad quem locum hæc annotat Orellius :
Codd. noti, etiam mei, miro consensu præbent ἀσύν-

δετα pro « utili *et* Rejecit, » « voltu *et* per. » Et a Codd. standum arbitror. Consulto duriore hoc modo auxit severitatem sententiæ Stoicæ.
Nauck : das Asyndeton « rejecit » zeigt Entschiedenheit und schnellen Entschluss.

cf. II, 10, 13-24 : Sperat infestis, metuit secundis etc., ubi præter unum « neque » v. 19 omnia ἀσυνδέτως posita sunt.

III, 2, 29-32 : sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum :
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Pœna claudo.

Notandum est, Horatium haud raro *exempla*, quibus quæ dixit confirmare solet, ἀσυνδέτως introducere, ut :

I, 3, 27 : Audax Japeti genus etc.
I, 7, 21 : Teucer Salamina patremque cum fugeret etc.
I, 16, 17 : Iræ Thyesten...
II, 2, 5 : Vivet extento Proculeius ævo.
III, 16, 11 : concidit auguris Argivi domus ob lucrum.
IV, 4, 30 : Est in juvencis est in equis patrum Virtus.

ubi certe ἀσύνδετον ποιητικώτερον esse videtur, quam illud

III, 4, 69 : Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum.

Jam vero ad Polysyndeton transeamus, qua figura quam varia et felici arte Horatius usus sit his exemplis ut spero intelliges :

1. *et* repetitum *bis :*

I, 1, 2 : O et præsidium et dulce decus meum.
I, 14, 13 : Jactes et genus et nomen inutile.

I, 38, 8 : Et corde et genibus tremit.
II, 14, 21 : Liquenda tellus et domus et placens Uxor.
III, 4, 41 : Vos lene consilium et datis et dato Gaudetis almæ.
III, 6, 18 : Primum inquinavere et genus et domos.
III, 24, 43 : Quidvis *et* facere *et* pati
ib. 48 : Gemmas et lapides aurum et inutile.
II, 3, 13-16 : Huc vina *et* unguenta *et* nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ,
Dum res *et* ætas *et* sororum
Fila trium patiuntur atra.

et repetitum *ter* :

I, 36, 1 : *Et* thure *et* fidibus juvat
Placare *et* vituli sanguine debito.

cf. *neu* sexies repetitum inter *ne* v. 10 et *nec* v. 18. quod præclare lætam in Numidæ reditu festinationem significat.

2. *Neque* — *neque* vel *nec* — *nec* sæpissime initio versuum repetitur ut :

I, 4, 3-4. Ac neque — nec
I, 6, 7-8. Nec — nec. I, 7, 10-11. Me nec — nec
II, 17, 13-14. Me nec — nec,
I, 9, 11-12.; I, 13, 5. 17, 8-9; II, 12, 17-18; III, 15, 15-16; 27, 15-16;
IV, 13, 13-14. — neque *ter* repetitum : II, 12, 2-5 et 16-17.

Neque *quater* repetitum : III, 10, 13-18.
I, 6, 5-8, I, 16, 9-11.

3. *et* — *que* : II, 6, 7: Sit modus lasso maris *et* viarum militiæ*que*

Ad quem locum hæc Dillenb. annotat : Tres genitivi « maris, viarum, militiæque » ad nomeu « lasso » non magis referendi sunt quam ad alterum « modus » cf. Epist. I, 11, 6. Sic Carm. I, 1, 23 : « castra et tubæ sonitus bellaque; » ut a partibus ad totam rem ascendatur.

et - et — que
I, 9, 18-19 : Nunc *et* campus *et* areæ lenes*que*... cf. III, 5, 10-11.
21 : Nunc *et*... 23. pignus*que*.
que — que I, 21, 11 et 12 : Insignémque pharetra
Fraternáque humerum lyra.
que — et — que : IV, 2, 41-43 : lætos*que* dies *et* urbis ludum... forum*que*.

que et elisione conjunctum :

IV, 14, 31 : Primosque et extremos
39 : Landemque et optatum... Decus
42 : Medusque et Indus
46 : Nilusque et Ister.

et — que — que IV, 2, 22 : Plorat et vires animumque mores*que*, nisi cum Nauckio « juvenemqne et vires » εν διὰ δυοῖν esse putas pro : juvenum vires vel juvenes viribus pollentes. III, 21, 21-23.

que — et — et III, 29, 37 : stirpes*que* raptas *et* decus *et* domos
IV, 15, 25 : Nos*que* *et* profestis lucibus *et* sacris
31 : Trojam*que* *et* Anchisen *et* almæ...

et — et; nec — nec iisdem locis versuum : I, 31, 17-30 :
Frui paratis *et* valido mihi
Latœ dones *et* precor integra
Cum mente *nec* turpem senectam
Degere *nec* cithara carentem.

atque — et *que* III, 11, 25-28. *que — et — atque* II, 19, 10-12.

4. *aut — aut* I, 12, 5-6 et sæpius initio versuum.

Aut — aut — ve — vel — vel — aut I, 7, 1-4.

5. *sive — sive* vel *seu — seu* frequentissimum initio versuum vel stropharum ut :

I, 1, 27-28. Seu visa est, seu rapit.
I, 2, 33, 35, 41 : ubi Dillb. sive i. e. vel si ut Carm. I, 15, 25; I, 32, 7; III, 27, 61. (I, 22, 5-6. I. 4, 12 : seu — sive; I, 11, 4. seu — seu)
II, 3, 5-6. II, 14, 11-12; II, 17, 17-19 (ter) III, 4, 3-4; 22-24 (ter)
III, 6, 30-31; III, 21, (*quater*) 2-4; III, 24, 57-58.
IV, 2, 10-24 habes conjunctiones :

Seu — que — seu — ve — sive — ve — ve — et — que — que — que ita disposita, ut per *seu — seu — sive* tria diversa *genera* eorum, quos Pindarus prædicavit, distinguantur.

6. *an* ter eodem loco versus repetitum I, 12, 33-35 an quietum, an superbos, an Catonis.

CAPUT SEXTUM.

De figura, quæ appellatur σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ.

Dillenburger ad Carm. I, 3, 5 : quæ tibi creditum debes etc. « Consulto » inquit « et artificiose posita sunt *finibus Atticis*, ut utrumque verbum *debes* et *reddas* attingant. Oratio inde efficitur concinnior, quam si molestum pronomen *his* interponeretur. Vult enim hoc : quæ debes Virgilium finibus Atticis, reddas eum his. Quod genus appellant grammatici σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ... Qua re non satis perspecta factum est, ut hærentes interpretes alii post *Virgilium* alii post *Atticis* interpunctione distinguerent. » Idem clarissimus Horatii intepres ad I, 14, 15 « Tu nisi ventis Debes ludibrium cave » hæc habet : « In hac sententia interpungendum non est; nam ludibrium vocabulum ita inter duo verba positum est, ut ex *frequentissima* constructione ἀπὸ κουνοῦ utrique obnoxium sit; nisi ventis ludibrium debes, cave ludibrium. »

Hos collegi locos, in quibus hanc figuram inveniri idem vir doctus aut dicit aut significat.

II, 17, 22 sq. Te Jovis impio
Tutela *Saturno* refulgens Eripuit

« Dativus conjungendus est et cum v. *refulgens* et cum v. *eripuit*. »

III, 8, 19 : Medus infestus *sibi* luctuosis
Dissidet armis.

« En iterum exemplum constructionis ἀπὸ κοινοῦ quæ solet vocari. Est enim Medus *sibi* inefstus armis *sibi* luctuosis. » Nauckius, cui σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ minime probari videtur, (cf. pag. 17) ad hunc locum : « infestus » inquit « nomini Romano » wie sich sofort von selbst versteht... Zu *dissidet* ist *sibi* nicht zu construiren, sondern blos zu denken. »

Vides si utrumque interpretem sequi volueris *sibi* semel positum *ter* cogitandum esse : sibi infestus, sibi luctuosis, sibi dissidet.

IV, 13, 10 : refugit te quia luridi
Dentes, te quia rugæ Turparunt.

Nauckius bis comma posuit post te; Dillenburgerus primum *te* et ad *refugit* et ad *quia turparunt* pertinere ratus unum comma post *dentes* posuit.

Præter hos locos etiam IV, 6, 29 : « Spiritum Phœbus mihi Phœbus artem dedit » cur *mihi* per σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ positum esse non putandum sit equidem non video. Nauckius *flagitante cæsura* posuit comma post *Phœbus*, Dillenburg. post *mihi*.

cf. II, 2, 13 : Crescit indulgens sibi dirus hydrops
hydrops *sibi* indulgens *sibi* dirus fit.

IV, 5, 3 : Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio redi
ubi « sancto concilio » et ad « pollicitus » et ad « redi » referre possis.

Jam quod attinet ad II, 20, 6-7 :
...Non ego quem vocas
Dilecte Mæcenas, obibo...

Dilecte per idem σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ ita positum esse dixerim ut elegantissimo consilio poeta Mæcenatis lecturi arbitrio permiserit, utrum illam dulcis amicitiæ

vocem ad « quem vocas » an ad « Mæcenas » referre mallet. Itaque neque cum Dillenb., Nauckio, aliis post *vocas*, neque post *Dilecte*, cum Rittero, Bulwero, aliis interpungendum esse putaverim. Cæterum inepta conjunctio (Dillb.) : *quem vocas dilecte* (den du Freund nennst) a Bulwero, quem spiritu et arte poetica imbutum recte et eleganter sentire nemo negaverit, his verbis defenditur : « J agree with M. Conington in accepting Ritters interpretation that « dilecte » is Mæcenas 's address to Horace. Upon this disputet point a very illustrious scholar writes to me thus :

J rather doubt the naked use of *vocas* in the sense of *invite to your society* (revocas is used Sat. I, 6, 61 but than of a particular repeated invitation, not of a general one); J therefore incline te prefer the interpretation : « Quem Mæcenas vocas : Dilecte » though J admit the boldness of this construction. Grammatica ratio non obstat. (Dillb.) cf. Sat. II, 6, 20; Matutine pater seu Jane libentius audis.

PARS TERTIA.

De Figuris quæ ad repetenda verba spectant.

Repetitionis apud Horatium tam frequens est usus ut vix ullum inveniri carmen dixerim, quod omni repetionis genere careat. Ad cuius figuræ vim melius explicandam repetitionis divisionem præmittendam esse putavi, quæ si cui minus probetur magnam esse in hac re virorum doctorum dissensionem meminerit. Cuius rei ut unum afferam exemplum, alii ut Ferd. Schultz in Gram. Lat. p, 594 παρονομασίαν et annominationem eandem rem, alii ut Bone (Deutsches Lesebuch p. 730) res esse valde diversas affirmant. Neque quid sit παλιλλογία vel ἀναδίπλωνις, geminatio vel duplicatio omnes eodem modo dicunt. Mihi diversa repetitionis genera ita optime distingni posse videntur, ut ratio habeatur :

I. Formæ verborum.
II. Locorum, quos verba repitita occupant.
III. Numeri repetitionum.
IV. Numeri verborum repetitorum.

unde hæc efficitur

Divisio repetitionis.

I. Ratione *formæ* habita, verba repetita sunt

1. Eadem *eiusdem* formæ ut II, 14, 1 : Postume, Postume.

2. eadem *diversæ* formæ et quidem :

a. *declinatione*, ut : Truditur dies die, II, 8, 15.
b. *comparatione*, I, ut 16 : O matre *pulchra* filia *pulchrior*
I, 24, 9-10 : Multis ille bonis *flebilis* occidit
Nulli *flebilior* quam tibi Vergili
c. *conjugatione*, ut : I, 7, 20 : seu-castra *tenent* seu densa *tenebit*... umbra.

3. verba ab *eadem stirpe* derivata ut II, 1, 20 : Terret *equos equitumque* voltus.

IV, 9, 50 timet 52 timidus
III, 3, 24, 19 : Nec *dotata* regit virum
21 : *Dos* est magna parentium Virtus.
IV, 4, 2 : Cui *rex* deorum *regnum* in aves vagas...
III, 29, 50 : *Ludum* insolentem *ludere* pertinax.

4. verba diversæ significationis, eiusdem vel similis sonus, ut :

IV, 13, 2-2 *fis* anus et tamen *Vis* formosa *videri*. Hoc genus παρονομασίαν plerique vocant.

II. Ratione *locorum*, quos verba repetita occupant, repetitio est aut *continua* ut II, 7, 10 : *ibimus ibimus* aut

conjuncta ut I, 25, 6 : *minus et minus jam.*, aut uno vel pluribus vocabulis sejuncta ut I, 6, 17 : *Nos* convivia, *nos* prœlia virginum Cantamus.

II, 3, 25 : *omnes* eodem cogimur, *omnium* versatur urna etc.

Hæc autem verborum repetitorum *sejunctio* sæpe consilio et arte ita fit, ut verba repetita egregiis illis locis ponantur, qui aut *logica* aut *metrica* aut utraque ratione eminere solent. Et quidem.

1. *Initio* ut :

I, 2, 4 et 5 : *Terruit* urbem. *Terruit* gentes. Hoc genus *anaphora* vocatur,

2. In *fine*.

ut IV, 2, 49-50 : Teque, dum procedis, *Jo triumphe*,
Non semel dicemus, *Jo triumphe*.
Hoc genus *epiphora* vocatur.

3. *Alterum initio, alterum in fine*, quod vocant *redditionem* vel κύκλον ut I 7, 27 : *Teucro* duce et auspice [*Teucro*.

4 Anaphora cum reditione conjuncta est : III, 4, 65 sq.

Vis consili expers mole ruit sua
Vim temperatam di quoque provehunt
In majus, idem odere *vires*
Omne nefas animo moventes.

5. Alterum in *fine*, alterum *initio novæ* sententiæ, quod genus vocant ἐπαναστροφήν sive *revocationem* (Cic. de or. III, 54, 206) ut :

III, 5, 60 en 61 : Tecta velint reparare *Trojæ.*
Trojæ renascens alite lugubri...

6. συμπλοκῆς vel *complexionis* apud Horatium nullum inveni exemplum. Est autem repetitio duplex initio et in fine facta ut :

Cici pro Mil. 22, 59 : *Quis* eos postulavit? *Appius.*
Quis produxit? *Appius.*
Carm. IV, 9, 13-24 est duplex redditio artificiose perplexa.

Forte ad hanc figuram revocare possis IV, 9, 45-47 :
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum : rectius occupat
Nomen *beati.*

III. Quod attinet ad *numerum* repetitionum, possunt vocabula aut semel aut bis aut pluries repeti ut I, 35, 5-21 *Te* initio versuum vel hemistichiorum sexies recurrit.

IV. Denique aut *unum* aut *plura* verba repetuntur, rarissime tamen plus duo. Carminum hos collegi locos ubi duo verba repetuntur :

I, 12, 50 sq. ... *tibi* cura magni
Cæsaris fatis data, *tu* secundo
Cæsare regnes.
I, 17, 13 : *Di me* tuentur, *Dis* pietas *mea*
Et Musa cordi est.
III, 11, 30 : *Impiæ* nam quid *potuere* magis?
Impiæ sponsos *potuere* duro
Pedere ferro.
IV, 9, 46, 47 : *recte beatum — rectius beati.*
IV, 13, 10, 11 : *te quia — te quia.*

Initio ejusdem carminis *tria* vocabula jocose repetita sunt :

Audivere, Lyce, di mea vota di
Audivere, Lyce.

Jam vero singulis repetitionis generibus qua ratione Horatius usus sit exemplis allatis ita ostendam, ut ratio potissimum habeatur locorum, quibus verba repetita collocantur

CAPUT PRIMUM.

De Geminatione sive de verbis continenter vel conjuncte repetitis.

Huius generis, quod optime *geminationem* vocari dixerim, hæc in carminibus sunt exempla :

II, 14, 1 : Eheu fugaces *Postume, Postume,*
Labuntur anni.

Mira δεινότης est in repetitione nominis, quæ gravi admonitioni viam munit. (Mitsch.)

III, 3, 18 : ... *Ilion, Ilion,*
Fatalis incestusque judex
Et mulier peregrina vertit In pulverem.

In conduplicatione (ἀναδιπλώσει) cohortandi et deterrendi vis inest. (Dillb.)

II, 18, 36 : Hic superbum — *Tantalum* atque *Tantali* —
genus coercet.

Cf. v. 15 : Truditur *dies die* et v. 40 : *Vocatus* atque non *vocatus* audit.

I, 26, 12 : *teque tuasque* decet sorores.
II, 1, 20 : *equos equitumque*
II, 13, 20 : *rapuit rapietque* (1)
II, 17, 10 : *Ibimus, ibimus*, in qua « reduplicatione mira quædam vis inest affirmationis et veritatis. » Dillb.
III, 1, 9 : Est ut *viro vir* latius ordinet. Arbusta sulcis.
III, 4, 41 : Vos lene consilium et *datis et dato* Gaudetis.
III, 26, 6 : *Hic, hic* ponite lucida -- Funalia.
IV, 1, 2 : Parce, *precor, precor*. IV, 3, 24 : quod spiro et *placeo* si *placeo* tuum est.
IV. 4, 70 : *Occidit, occidit*, Spes omnis.
IV, 13, 18 : Quid habes *illius, illius*, Quæ spirabat amores.

CAPUT ALTERUM.

De Anaphora (2).

Hac figura longe frequentissima plerumque ita utitur Horatius ut anaphoram logicam cum metrica conjungat i. e. ut verba repetita non solum initia sententiarum sed etiam versuum, hemistichiorum vel stropharum teneant. Exempla abundant, imprimis vero pronomina personalia et interrogativa per anaphoram repeti solent.

I, 1, 29-30 : *Me* doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis, *me* gelidum nemus...
35 : Quodsi | *me* lyricis vatibus inseris..,

(1) « Cum fieri aliquid quovis et continuo tempore dicendum est, verbi tempora præteritum vel præsens et futurum conjunguntur. Sic apud Horatium Carm. IV, 2, 38. Ep. I, 2, 43. » Dillb.

(2) Cicero de orat. III, 54, 206 anaphoram repetitionem, epiphoram conversionem appellat : « eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio. »

I, 2, 4-5 : *Terruit* urbem. *Terruit* gentes.
21, 23 : *Audiet* cives — *audiet* pugnas.
25, 29 : *Quem* vocet — *Cui* dabit.
v. 26. prece *quá*, ubi interrogativum eodem modo inversum ac *te* I, 10, 13 : duce *te* post duplex *Te* v. 5 et 9.
49, 50 : Hic — hic.
I, 3, 1, 2 : Sic — sic. 25, 27 : Audax — audax.
» 4, 9, 11 : Nunc — nunc. Cf. I, 9, 18, 21 ; I, 37, 1-2.
» 5, 1, 4 : Quis — cui. 9, 10 : Qui, qui.
» 6, 5, 17 (bis) Nos.

I. 8. In hoc carmine *cur* quinquies repetitum et v. 13 ejus loco *quid* positum, quæ jocosa interrogationis cumulatio eo efficacior est ad Sybarin castigandum, quod nec ipse nec Lydia nec poeta quid respondendum sit ignorant.

I, 9, 18, 21 : Nunc et — nunc et.
10, 5, 9, 17 : Te — Te — Tu et v. 13 duce *té*.
12, 1, 3 : ubi interrogationi : *Quem* virum — *quem* deum? *cuius* imago? respondent v. 50, 51 :

Tibi cura magni
Cæsaris fatis data; *tu* secundo
Cæsare regnes.
Ubi *Jovem* quidem alloquitur, sed *Cæsa-*
[*rem* (1) laudat.

57, 58, 59 : Te — Tu — Tu.

(1) Cf. eiusdem nominis repetitionem :
I, 2, 44 et 52 : Cæsaris ultor — Te duce Cæsar
III, 14, 3 et 16 : Cæsar Hispana repetit penates
Victor ab ora
Nec mori per vim metuam tenente
Cæsare terras.

15, 9-10 : Eheu *quantus* equis, *quantus* adest viris
Sudor, *quanta* moves funera
13-16 : *Nequicquam*... pectes cæsariem
Nequicquam... vitabis Ajacem
21-22 : *Non* Laërtiadem — *non* Pylium respicis?
23-24 : Urgent *te* Salaminius — *te* Sthenelus. v. 27 furit *te* reperire atrox Tydides..., quem *tu* cervus uti fugies. Qua repetitione præclare describitur perfidus pastor, quem unum omnes petunt.

I, 16, 5 sq. ubi poeta magnifica eademque superlatione prope jocosa enumeratione docet, nil æque quatere mentem — *Tristes ut iræ* — quas nil deterreat, quasque poeta mira arte inter quatuor *non* et quatuor *nec* inclusit :

Non Dindymene, *non* adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius
Non Liber æque, *non* acuta
Si geminant Corybantes æra

Tristes ut iræ, quas *neque* Noricus
Deterret ensis *nec* mare naufragum
Nec sævus ignis *nec* tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.

cf. *Non* quater repet. IV, 9, 13, 15, 17, 21, non sola — non semel — non solus — non... primus.

I, 17, 13 : *Di me* tuentur, *dis* pietas *mea*
Et musa cordi est. *Hic* tibi copia
Manabit...

IV, 2, 34 et 48 : Concines majore poeta plectro
Cæsarem
canam recepto
Cæsare felix.

v. 17 : *Hic* — vitabis æstu v. 21. *Hic*... pocula duces.
I, 19, 5, 7 : Urit. I, 21, 5, 9 Vos, 13 hic.
I, 22, 17 : *Pone* me pigris... campis
21 : *Pone* sub curru — Solis
23 et 24 : *Dulce* ridentem — *Dulce* loquentem, ubi ὁμοιοτέλευτον gratissime auget vim repetitionis.
I, 26, 7-8 : *necte* flores
necte meo Lamiæ coronam
I, 26, 10 : *hunc* fidibus novis — *Hunc* Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.
I, 31, 1, sq. *Quid*... poscit vates, *quid* orat?
Non segetes... *non* armenta... *non* aurum... *non* rura...
Me pascunt olivæ — *Me* malvæ.
I, 35, 5, sq. *Te*... ambit colonus, *te* (nauta)
v. 9. *Te* Dacus asper — *te* profugi Scythæ
17. *Te* semper anteit sæva Necessitas
21. *Te* Spes et albo rara Fides colit. cf. II, 19, 17 sq.
v. 34-37 : quid, quid, unde, quibus. cf. II, 1, 29-36.
I, 38, 1-3 : *Nunc* ter repetitum, cui opponitur v. 5. *Antehac*.
II, 1, 16 sq. *Jam* quater repet. cf. II, 20, 9.

ibid. v, 29, 33, 34, 36 : *Quis*... *campus*, *qui* gurges aut *quæ* flumina,
quod mare, *quæ* caret ora cruore nostro?

II, 3, 17 : *Cedes* cœmptis saltibus et domo

Villaque flavus quam Tiberis lavit,
Cedes et exstructis in altum
Divitiis potietur *heres*.

ubi ὁμοιοτέλευτον *heres* in fine positum, moriturum illudere videtur.

II, 4, 4 et 5. *Movit* Achillem — *movit* Ajacem
II, 6, 13 : *Ille* terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet...
21 : *Ille* te mecum locus et beatæ
Postulant arces.
II, 8, 21-23. *Te* — *Te* — *Tua*.
II, 10, 6 : *caret* obsoleti
Sordibus tecti, *caret* invidenda
Sobrius aula (1).
II, 13, 1 : *Ille* v. 5. *Illum* v. 8. *Ille* v. 11. Te... *Te*
» » 18 : Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas || *Parthus* et Italum
Robur... (anaph. metr.)
27 : *dura* navis, *dura* fugæ mala || *dura* belli
(an. metr.)
II, 14, 13 et 15 : *Frustra* — *frustra* cf. I, 15, 13 et 16.
nequicquam.
II, 16, 1 : *Otium* divos rogat in patente Prensus Ægeo
v. 5 : *Otium* bello furiosa Thrace
Otium Medi pharetra decori

Sed rogantibus *otium* cum ludibrio quasi respondere atque resonare videtur (v. 22). Cura — *Ocior* cervis et agente nimbos *Ocior* Euro.

(1) Nauckius scribit, recte, ut mihi videtur : *Diligit tutus*, « sicher gehend » gehört zusammen. Dies hatte schon Bentley erkannt... das von *allen* Ubrigen vor *tutus* gesetzte komma widerstreitet der Cæsur wie dem Sinne; es zerstört die Anapher : caret — caret.

ibid. v. 33-35 : « anaphora *te*, *tibi*, *te* præclare facit, ut quam multa fato data sint Grospho videamus; ubi de se loquitur, semel *mihi* posuit. Dillb.

II, 19, 9 et 13. *Fas*... cantare rivos
Fas... conjugis honorem.
17 : *Tu* flectis amnes, *tu* mare barbarum
Tu... cœrces
21 : *Tu*... Rhœtum retorsisti
29 : *Te* vidit insons Cerberus.
II, 20, 5 et 6 : *non ego*
9 : *Jam jam*. 13, *jam*. 16 et 19. *me*.
III, 1, 5 : *Regum* timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Fovis.

ubi animadverte ὁμοιοτέλευτον greges — reges.

v. 20 : non avium citharæque cantus
Somnum reducent. *Somnus* agrestium
Lenis virorum. (anaph. metr.)
III, 2, 17 : *Virtus* repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus
21 : *Virtus* recludens immeritis mori
Cœlum negata tentat iter via.
III, 3, 65, 66, 67 : *Ter* si resurgat murus æneus
Auctore Phœbo, *ter* pereat meis
Excisus Argivis; *ter* uxor
Capta virum puerosque ploret.

cf. nostri poetae Mülleri : Der kleine Hydriot :

Ein Silberstückchen warf er
Dreimal ins Meer hinab,
Und *dreimal* musst ich 's holen
Eh er 's zum Lohn mir gab.

III, 4, 21 : *Vester* Camenæ *vester* in arduos
Tollor Sabinos...
25 : *Vestris* amicum fontibus et choris
29 : Utcunque mecum ‖ *vos* eritis...
33 : *Visam* Britannos...
35 : *Visam*... Gelonos...
37 : *Vos* Cæsarem altum... recreatis
41 : *Vos* lene consilim et datis et dato Gaudetis.

III, 9 carmen ἀμοιβαῖον, cuius cum veluti lex esset, ut, qui responderet, similibus sententiis alterum vincere conaretur, aptissime repetita sunt : *Donec — donec ;*

v. 4, Persarum *vigui* rege beatior
v. 8, Romana *vigui* clarior Ilia.
v. 9. sq. *Me* — Chlœ regit... *Pro qua* non metuam *mori*.
v. 13, sq. *Me* — Calais... *Pro quo* bis patiar *mori*.
III, 11, 45, 47 : *Me* pater sævis oneret catenis
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget;
I pedes quo *té* rapiunt et auræ
Dum favet nox et Venus; *i* secundo [omine...
IV, 8, 28 : Dignum laude virum ‖ *Musa* vetat mori
Cœlo | *Músa* beat. (anaph. metrica)
III, 16, 21-22 : Quanto quisque sibi ‖ *plúra* negaverit
Ab dis | *plúra* feret, (anaph. metrica)

III, 19, 9-10 ubi ter repetitum « *da* » post *narras* v. 3. et *taces* v. 8 egregie indicat a jejuna et frigida « narrantis » doctrina ad calida vina festinantem.

IV, 4, 2 : Cui | *rex* deorum ‖ *regnum* in aves [vagas

29 : *Fortes* creantur ‖ *fortibus* et bonis;
30 : *Est* in juvencis, *est* in equis patrum
Virtus.
IV, 5, 38 : *dicimus* integro
Sicci mane die, *dicimus* uvidi.
IV, 9, 45 : *Recte beatum* ‖ *Rectius* occupat
Nomen *beati*. Habes anaphoram metricam cum epiphora logica et metrica.
III, 21, 12-21 : *Tu*... tormentum admoves
Tu... consilium retegis
Tu spem reducis... pauperi
Post *te* (nil) trementi
Te Liber et Venus producent.
III, 25, 7-8 *dicam — Indictum*
III, 27, 49 et 50. *Impudens.*
III, 29, 17, 18, 21. *Jam.* cf. II, 1, 16.
IV, 1, 33 sq. *cur* ter repet.
IV, 2, 1 et 8 *Pindarum. Pindarus.*
IV, 2, 14 et 15. *Cecidere — cecidit* post cæsuram v. 33 et 41 : *Concines.*
IV, 3, 13 : *Romæ* principis urbium 23 *Romanæ* fidicem lyræ.
IV, 4, 1 et 13 : *Qualem — Qualemve*
IV, 5, 20 et 24 : initio ultimi versus.
Culpari metuit Fides
Culpam Pœna pœmit comes. (ὁμοιοτέλευτον)

IV, 5, 25, sq. ubi quater interroganti : *quis* paveat... *quis* curet? respondet v. 29 : Condit *quisque* diem collibus in suis; *incolumi Cæsare* gratissime inter Parthum, Scythen, Germaniam, Hiberiam incluso. — IV, 6,

37 et 38. *rite* — *rite*. IV, 8, 1, 3, 12. *Donarem*, *donare*.

IV, 11, 1-4. *Est*... .cadus ; *est* apium ; *est* hederæ vis, qua repetitione poeta non sine lepore beatam suam copiam festo die dignam cum gaudio describit.

IV, 13, 17-20. cf. pag. *quo* — *quove* — *quo*? *quid*, *quæ*, *quæ*, quibus si addideris v. 18 : *illius*, *illius* et v. 20 *me* — *mihi*, et initium carminis, poetam hac præcipiti verborumneiteratione magna et maligna cum voluptate ridere senties : « Dilapsam in cierem facem. » v. 28.

IV, 14, 41-42 ; 45-51. *Te* post variam repet. *Te*, *te*, *tuos*, *tibi* v. 33-34. initio stropharum, versuum, hemistichiorum *septies* repetitum.

CAPUT TERTIUM.

De Epiphora.

Epiphora logica, qua idem vocabulum in fine sententiarum repetitur, in carminibus Horationis rarissima esse videtur neque frequentem inveni epiphoram metricam, qua repetitio fit in fine versuum vel hemistichiorum.

Hæc collegi epiphoræ exempla :

IV, 3, 21 et 24 : Totum muneris hoc *tui est* (1)
Quod spiro et placeo, si placeo, *tuum est*.

(1) Keller et Holder ex optimis Codd. « tuist, tuumst ». Contra Peters : « Est ist sicherlich beide male in gleicher Weise « tuest » zu lesen, da sonst die Gleichmässigkeit, welche durch die Stellung der Worte beabsichtigt ist, durch die Verschiedenheit der Aussprache wieder verloren ginge. »

III, 4, 9-10 : Me fabulosæ Volture in *Apulo*
Altricis extra limen *Apuliæ* (1)

I, 7, 20 : seu *te* fulgentia signis
Castra *tenent* | seu densa *tenebit*
Tiburis umbra *tui*.

animadvertas redditionem *te* — *tui*.

I, 13, 1-2 : Cum tu, Lydia, *Telephi*
Cervicem roseam, cerea *Telephi*
Laudas brachia etc.

« Quæ egregia iteratio imitatur Lydiæ frequentem ejus nominis commemorationem » Dillb. Die Wiederholung des Namens macht es gleichsam vernehmlich, wie Lydia immer und immer wieder den Telephus lobt. Æhnlich wirkt des zweimalige *Lydia* (III, 9, 6.) während die Wiederholung des Namens *Lycus* (III, 19, 29) oder Lyce (IV, 13, 1) einen ganz andern Eindruck hervorbringt. Nauck.

III, 19, 23 et 24 : Teque dum procedis, Jo Triumphe !
Non semel dicemus, Jo Triumphe !

(1) Keller et Holder : Nutricis extra « limina Pulliæ. » Bentley : Nutricis extra limina sedulæ. Yonge : limina villulæ aut villicæ. Locus ob prosodiam mutatam (Apŭlo Apūliæ) et sensus obscuritatem difficillimus.

Cf. Bulwer. l. l. p. 269, As the obscurity of this passage has tasked the sublest critics, J feel that J shall gratify all Horatian scholars by subjecting the following communication from a very high authority : « J cannot see any difficulty about the Apuliæ and Apulo; the adjective and substantive often differ in accent, as gállant and gallánt (cf. Priamus, Priamides Sicanus, Sicania; Italus, Italia). Horace claims Voltur as an Apulian mountain, but says that he has strayed beyond its Apulian side; just as a child at Macugnaga might say that he had strayed on the « Piedmontese Monte Moro » beyond the limits of Piedmont cf. Sat. II, 1.

IV, 5, 3 : Maturum *reditum* ‖ pollicitus patrum
Sancto concilio *redi!*
I, 18, 7 : Centaurea *monet* ‖ cum Lapithis rixa
super mero
Debellata, *monet* ‖ Sithoniis non levis
Evius.
I, 16, 1 : O matre *pulchra* ‖ filia *pulchrior*
» 32, 11 : Et Lycum *nigris* ‖ oculis *nigro*que
Crine decorum.

CAPUT QUARTUM.

De Redditione, quam Græci κύκλον (1) *vocant.*

Hoc gratissimo repetitionis genere poeta rarius ita usus est, ut locus logicus cum metrico congruat; sæpius ita, ut κύκλος metricus cum anaphora logica concurrat, vel mediam sententiam teneat. Prioris generis hæc sunt exempla :

I, 7, 27 : Nil desparandum | *Teucró* duce et auspice *Teúcro*.
cf. C. S. 2-3 : o *colendi* Semper et *culti!*
III, 16, 42 : ‖ *Multa* petentibus
Desunt *multa*. ‖
III, 19, 28 : *Me* lentus Glyaræ torret amor *meæ*.

Duos κύκλους artificiose copulatos habes :

IV, 9, 13-24 :

(1) Eustathius p. 818 versum Homericum Il. X, 466 :
Θῆκεν ἀνὰ μυρίκην; δέελον δ' ἐπὶ σῆμά τ' ἔθηκεν appellat κύκλον ῥητορικόν.
Cf. Verg. Aen. XI, 358 : *Ipsum* obtestemur, veniamque oremus ab *ipso*.

v. 13. *Non sola* v. 20 (non) *solus*
v. 17. *Primusve* v. 24 (non) *Primus*.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacæna,

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; *non semel* Ilios
Vexata; *non* pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve *solus*

Dicenda Musis proelia; *non* ferox
Hector vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque *primus*.

2. Alterius generis hæc sunt :

I, 35, 15 : *Ad arma* cessantes, *ad arma*
Concitet imperiumque frangat.

Was diese Wiederholung bedeute, zeigt folgender Vers aus Schillers Spaziergang : « *Endlos* unter mir seh' ich den Aether, über mir *endlos*. » Es ist das unaufhörliche Geschrei der Aufrührer... welches durch diese Worstellung nachgeahmt und dem Ohre des Lesers vernehmbar gemacht wird. Peters.

I, 19, 13 : *Hic* vivum mihi cæspitem, *hic*
Verbenas, pueri, ponite.
II, 3, 5 : *Omnes* eodem cogimur, *omnium*
Versatur urna.
II, 8, 13 : *Ridet* hoc, inquam, Venus ipsa *rident*
Simplices Nymphæ.

IV, 2, 13 : Seu *deos* regesve canit *deorum* Sanguinem.

3) Redditionem metricam in media sententia habes :

I, 24, 9-10 : Multis ille bonis ‖ *flébilis* occidit
Nulli *flebilior*, ‖ quam tibi Vergili.

III, 7, 25 : Quamvis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus *æque*
Tusco denatat alveo.

4. Vocabulum ter repetitum est, bis initio, semel in fine, ut anaphoram cum redditione efficiat :

III, 4, 65 : *Vis* consili expers mole ruit sua
Vim temperatam di quoque provehunt
In majus : idem odere *vires*
Omne nefas animo moventes.

II, 9, 1-17 : *Non semper* imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque, ...

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, ...
... aut Phrygiæ sorores
Flevere *semper*.

Animadverte præterea synonyma :

V. 4, *usque*. v. 6, *menses per omnes*. v. 10-11, *vespere surgente*, *fugiente solem*. v. 14-15, *omnes... annos.*, quibus magna cum vi opponitur v. 17 :

desine mollium
Tandem querelarum.

CAPUT QUINTUM.

De revocatione (1), *quæ græce dicitur ἀναστροφή vel ἐπαναστροφή.*

Quintil. J. O. IX, 3 44 : « Prioris sententiæ verbum ultimum ac sequentis primum frequenter est idem ; quo quidem schemate utuntur poetæ sæpius. » Horatius in carminibus his locis :

III, 2, 13 : Dulce et decorum est pro patria *mori* :
Mors et fugacem persequitur virum.

III, 3, 60-61 : (ne) Tecta velint reparare *Trójæ*.
Trojáe renascens alite lugubri...

Cf. ib. v. 18 Ilion, Ilion... « Der blosse Name bringt sie (Juno) in Aufregung. » Peters.

III, 5, 20 sq. : (arma) Militibus sine cæde dixit
Derepta *vidi*. ‖ *vidi* ego civium
Retorta tergo brachia.

IV, 4, qualemve... caprea... leonem
16 : Dente novo peritura *vidit* :
17 : *Videre* Rætis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici!

III, 16, 15 : (13) diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit æmulos
Reges *muneribús* ; *múnera* navium
Sævos illaqueant duces.

IV, 8, 11 : Gaudes *carminibús* ‖ *cármina* possumus.
Donare. Vox *Donare* respicit v. 1 : *Donarem* pateras et v. 3. *Donarem* tripo-

(1) Cic. de or. III. 54, 206.

das..., *gaudes* — *possumus* χιαστικῶς sequuntur *mihi* — *tibi* v. 9.

Cf. II, 17, 8 et 21 : *utramque* — *utrumque* in fine et initio stropharum.

Vides, in hoc repetitionis genere vocabula sæpe *mutato ictu* recurrere. Idem fit et aliis et his locis :

I, 5, 10 : Quem *sémper* vacuam *sémper* amabilem
I, 7, 27 : *Teucró* duce et auspice *Teúcro*
II, 8, 17 : pubes tibi *créscit* omnis
Servitus *crescít* nova
II, 13, 18 : *Parthi*, catenas ‖ *Párthus* et Italum
IV, 7, 21 etc. dé te — non té — nón te.

Cum semel occideris et *dé te* splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, *nón té* facundia, *nón te*
Restituet pietas ;
C. S. 34 : Supplices *audí* pueros Apollo !
Siderum regina bicornis *aúdi*
Luna puellas !

Annominationis denique vel παρονομασίας et ludi verborum cum *repetitione* conjuncti præclarissimum est exemplum :

IV, 13, 1-3 : Audivere, Lyce, di mea vota ; di
Audivere, Lyce : *fis* anus et tamen
Vis formosa *videri*
Ludisque et bibis impudens.

Totum carmen « abundat irridendi et vellicandi figuris et artificiis. » Dillb.

Cf. III, 14, 2 : *petiisse* laurum — *repetit* penates.

II, 7, 2 : *Deducte* Bruto militiæ *duce*
III, 8, 14 : *lucernas* perfer in *lucem*.
IV, 5, 3-5 : *reditum* — *redi!* Lucem *redde*
IV, 12, 13 : *Adduxere* sitim — *ducere* Liberum.
C. S. 63 et 64 : qui salutari levat *arte* fessos
Corporis *artus*.

IV, 4, 28, 29. *Nerones*. *Fortes*. « Nero in Sabina lingua *fortem* significat. » Dillb. Cf. Suet. Tib. I.

Etiam I, 5, 9-11 *aurea-auræ* forte non sine consilio opponuntur.

PARS QUARTA.

De figuris verborum, quæ ad sonum et numerum spectant.

Duæ sunt res, ut Cicero dicit (or. 49) quæ permulceant aures, *sonus et numerus*. Quod quam verum sit Horatianis exemplis ostendere, cum omnia fere carmina εὐφωνίας et εὐρυθμίας deliciis abundent; facillimum quidem; omnia vero sonorum et numerorum artificia ad certas divisiones et genera ita revocare ut neqe gravius quidquam omittas neqe nimis subtilia et implicata conquirens legentium oblectationem minuas magis atque impedias, quam augeas atque adjuves, eo difficilius esse affirmarerim, quo frequentius poeta varia inter se conjunxit atqe connexuit.

Præter Cadenbachium, qui ante quadraginta annos « de alliterationis apud Horatium usu » non sine eruditione et elegantia, sed nimis minuta nonnumquam subtilitate disputavit, neminem, qui hanc rem tractaverit, novi, nisi quod Dillenburgerus, Nauckius, alii, notulis

passim per commentarios dispersis nonnulla quæ huc pertinent attigerunt.

Ac primum quidem quod ad *sonum* pertinet hæc Horatius artificia adhibuisse videtur :

A*l*literationem et assonantiam (1), quas recentiores vocant, veteres παρήχησιν; similiter cadens et similiter desinens, quod græce ὁμοιόπτωτυν καὶ ὁμοιοτέλευτον vel communi nomine ὁμοιοκατάληκτον vocant; verba in fine versus fracta vel elisa,

Ad *numerum* verborum multa spectant, quæ de intervallis metricis in prima parte disputavi, hoe loco pauca de verbis monosyllabis *et* polyssyllabis addam.

CAPUT PRIMUM.

De alliteratione.

Alliterationem plerique vocant eiusdem literæ consonantis vel etiam syllabæ *initio* verborum continuorum

(1) Cadenbachius cur alliterationem, assonantiam, ὁμοιόπτωτον ὁμοιοτέλευτον uno *alliterationis* nomine complectatur, eo minus intellego quod ipse in notula ** p. 4, hunc Poggelii locum laudat : « Alliteration nennt man bekanntlich die Aufeinanderfolge solcher Wörter, die gleichlautende *Anfangsconsonanten*, auch wohl gleiche Anfangs*sylben* haben.

De alliterationis vi et efficientia præclare Lachmannus : « Der Reim » inquit « *dient* dem Inhalt und sehmeichelt ihu dem Zuhörer ein, die Alliteration *herrscht* und hebt das Einzelne mit wunderbarer Kraft hervor.

Ersch und Gruber Encycl. III, p. 166.

Dubitari certe non potest, quin alliteratio et similia dicendi artificia et ad aurium voluptatem et ἁρμονίᾳ μιμητικῇ ad sententiæ vim augendam plurimum valeant; difficillimum tamen mihi esse videtur de singularum literarum diversa significatione certa statuere. Cf. quæ Vossii verba laudat Cadenbach. p. 20 : « *a* plane sonorum est, ideoque imprimis frequentatur, quum de rebus *horridis* sermo est; *i* convenit quibusvis rebus *exilibus*; itaque pluviæ penetrationem egregie exprimit. »

vel paucis interjectis sejunctorum repetitionem ut : *c*ote *c*ruenta. *p*ontica *p*inus. *p*ater atque *p*rinceps. *m*agna *m*anus.

Cadenbachius etiam alia ejusdem consonantis vel syllabæ repetitionem vel continuam vel disjunctam alliterationem vocat ut Carm. II, 31, 32 : Sy*ra re*parata merce. Cuius generis hæc sunt exempla I, 15, 33 : Iracun*da di*em, I, 29, 12 : Tiber*im re*tortis, II, 17, 4 : gran*de decus co*lumenque, III, 1, 16 : ur*na no*men, III, 16, 29 : pu*ræ ri*vus aquæ, II, 4, 48 : habue*re re*ctos. II, 1, 36 : quæ caret *ora* cru*ore* nostro. cf. annot. p. 110.

Præterea Cadenbachius omnem fere eiusdem literæ quovis verbi loco factam iterationem ad hanc figuram revocat. Ita I, 12, 23 : Dulce rid*en*tem Lalag*en* illa *en* — *en* una cum repetitis verbis dulce — dulce et ὁμοιοτελεύτῳ *ridentem*, *loquentem* alliterationem appellat, Cf. quæ pag 18 ad I, 29, 12 : « Tiberim reverti » annotat. Duplex, inquit, inest in his verbis alliteratio, quam vix animadvertimus primo aspectu ; in syllaba *ti*, qua incipit unum terminatur alterum ; et syllaba *rim*, qua terminatur prius, et *re* qua inci pit alterum vocabulum. » Quæ ut non plane neglegenda ita non satis gravia esse videntur ut in artificiorum dicendi numero ponantur.

Alliterationis apud *Horatium* (1) hæc potissimum genera esse videntur :

(1) In alliterationis aliorumque id genus artificiorum usu Horatius non certam regulam secutus ut germanici poetæ veteres, sed eodem communi fere omnium lingnarum indole ductus esse videtur quo nostrates delectantur vulgo dicentes :

Mann und Maus, Stock und Stein, Wind und Wetter.

non secus ac Galli dicunt : à tort et à travers, à cor et à cri.

Vel Britanni : from top to toe, from head to heel, roof and rafter, time and tide etc.

Nostræ quoque ætatis poetæ alliteratione felicissime usi sunt neqne

I. Alliteratio *semel* vel *pluries* facta, ut :

I, 4, 13 : *P*allida mors æquo *p*ulsat *p*ede *p*au*p*erum ta-[bernas
Regumque turres.

Quæ voces pulsant aures ut : « Persephone nostras pulsat acerba fores. » Ovid. Her. 21, 46.

II. Alliteratio *unius* vel *plurium* literarum, quæ est vel

1. Alliteratio *gemina* ut :

mmcc. II, 1, 1 : *M*otum ex *M*etello *c*onsule *c*ivicum (1)

Vel 2. Allit. *alternans* et quidem

a. παραλλήλως ut :

ncnc III, 16, 22 : ... *n*il *c*upientium *N*udus *c*astra peto

b. χιαστικῶς ut :

mdmd II, 12, 13 : *M*e *d*ulces *d*ominæ *M*usa Licymniæ

III. Alliteratio continua, conjuncta, sejuncta ut :

I, 1, 3 : dulce decus, I, 2, 50 : pater atque princeps.

I, 7, 19 : *M*olli, Plance, *m*ero. *Sejuncta* vero sæpe eo consilio sunt vocabula ut locis conspicuis collocentur :

1. Initio et in fine ut :

I, 1, 4 : *M*yrtoum pavidus nauta secet *m*are.

cum Nauckio (ad I, 1, 2) Germanorum aures ad Romanæ alliterationis dulcedinem percipiendam minus teretes esse dixerim quam ad Schilleri, cuius plures Nauckius locos in commentario laudavit, ut :

Um das Ross das Reiters schweben
Und das Schiff die Sorgen her
Muss wetten und wagen
Das Glück zu erjagen, et alia.

(1 Vix est, cur moneam, hodie constare inter viros doctos literam C ab antiquis Romanis *ubique* eodem modo pronuntiatam fuisse. Cf. F. Schnltz in Gram. Lat. p 5.

C wurde ohne Ausnahme wie unser K gesprochen also ganz gleich in : vinco, vincis, vincunt, vincant, vincent und überall. Erst Jahrhunderte nach Christus (noch nach Priscian) (qui sexto p. Chr. sæculo florebat) ist der Gebrauch entstanden, das i vor e, i, u, ae, oe, eu (in ceu) gleich unserem G zu sprechen, und so geschieht es leider noch heute.

2. Initio ut :

IV, 8, 26 : *V*irtus et favor et lingua potentium
*V*atum divitibus consecrat insulis.

3. In fine ut :

II, 13, 39 : Nec curat Orion *l*eones
Aut timidos agitare *l*yncas.

Haud raro pluribus eiusmodi locis eadem litera jucundissime recurrit vel plures literæ artificiose se excipiunt ut :

C. S. 75 : *D*octus et Phœbi chorus et *D*ianæ
*D*icere laudes.
Ib. 6-8 : ... puerosque *c*astos
*D*is quibus septem pla*c*uere *c*olles
*D*icere *c*armen.

Jam vero plura alliterationis exempla eo ordine afferam ut primum alliterationem continuam, conjunctam vel uno alterove verbo sejunctam; deinde alliterationem geminam et alternantem; tum allit. conspicuis locis dispositam locis Horatianis illustrem.

I. Alliterationis continuæ, conjunctæ vel uno verbo sejunctæ exempla.

1. I, 1, 37 : catulis cerva. I, 16, 2 : criminosis cunque.
17, 27 : coronam crinibus
24, 2 : cari capitis
33, 16 : curvantis calabros (sinus),
II, 8, 16 : cote cruenta
20, 23 : compesce clamorem.
III, 4, 80 : cohibent catenæ.
8, 24 : cedere campis. III, 16, 36 : campis con-[tinuam.

IV, 11, 36 : carmine curæ. IV, 5, 34 : cervos cohi-[bentis.
C. S. 60 : copia cornu

D. I, 1, 2 : *d*ulce *d*ecus meum (1).
» » 20 : solido demere de die
11, 2 : di dederint. 18, 3 : dura deus.
II, 12, 13 : dulces dominæ.
III, 1, 18-19 : dapes dulcem
2, 13 : dulce et decorum est.
3, 21 : destituit deos.
7, 32 : duram difficilis,
9, 10 : dulces docta mo*d*os.
13, 2 : Dulci digne mero
14, 7 : ducis et decoræ.
III, 21, 6-7 : digna bono die Descende
IV, 1, 4 : Desine dulcium
6, 27 : Dauniæ defende decus. 33 : Deliæ tutela deæ.
IV, 5, 12 : Dulci distinet a domo.
IV, 12, 11 : delectantque deum
IV, 12, 28 : Dulce est desipere

F. IV, 4, 68 : feraci frondis
III, 10, 11 : ... feriunt fulgura
III, 27, 46 : ferro et frangere
III, 4, 52 : fallere et effugere
II, 1, 19 : fulgor armorum fugaces
IV, 7, 11 : fruges effuderit (2)

(1) Duplex est alliteratro : d c, d c; ter recurrunt eædem vocales : u e e u e u.

(2) Etiam cum ph et v litera f aliquam alliterationem efficere videtur ut : II, 4, 14 Phyllidis flavæ.
I, 22, 4 Fusce pharetra.
II, 7, 11 Fracta virtus.
III, 27, 4 Fetaque vulpes.

G. Hanc literam notum est antiquissimo tempore idem signum, eundem fere sonum ac C habuisse (cf. vicesimus, vigesimus, Cajus, Gajus) quo fit ut non solum I, 15, 11 Genti! jam galeam, IV, 14, 10 *Gen*aunos implacidum *gen*us, similia; sed etiam III, 12, 11 grege cervos, III, 20, 7 grande certamen, II, 10, 11 graviore casu, IV, 5, 45 græcia castoris, alia id genus alliteratione non caruisse videantur.

L. I, 19, 3 : lasciva licentia.
2, 37 : longo satiate ludo — galeæque leves
I, 22, 7 : loca fabu*l*osus lambit
32, 14 : laborum dulce lenimen
(Cf. Lusimus, Latinum, Lesbio, Litore, Liberum, Lycum vv. 2, 3, 5, 8, 9, 11.)
II, 14, 20 : laboris. Linquenda.
III, 13, 15 : loquaces Lymphæ
cf. III, 15, 12 : lascivæ simi*l*em ludere capreæ.
III, 21, 21 : Te Liber et si *l*æta aderit Venus
III, 28, 11 : lyra Latonam cf. III, 13, 15.

M. I, 12, 46 : Fa*ma* *M*arcelli *m*icat
I, 13, 5 : mens mihi
25, 18 : magis atque myrto
33, 13 : Ipsu*m* *me* *m*elior (1)

(1) Creberrimam inveni literæ « m » in fine vocabuli et initio sequentis repetitionem ut :
II, 7, 6 : *diem mer*o 18 fessu*m* *m*ilitia
30, 10 : alb*um* *mu*tor
17, 31 : votiva*m* *m*emento
III, 12, 32 : Immun*em* *me*ditor
14, 2 : hono*rum* *mu*neribus
23 : fremen*tem* *mit*tere equu*m* *m*edios per ignes
28 : diluvi*um* *me*ditatur
In fine et initio versuum :
II, 20, 17 : metu*m* *M*arsæ

II, 1, 17 : Jam nunc minaci murmure cornuum
8, 21 : matres metuunt.
12, 11 : Mæcenas melius
III, 1, 12 : moribus hic meliorque fama
III, 3, 6 : magna manus
72 : magna modis
III, 6, 15 : missilibus melior
37 : rusticoru*m* mascula militum
41 : montium Mutaret
9, 11 : metuam mori
III, 24, 49 : Su*mm*i materiem mali
Mittamus.
III, 27, 47 : modo multum amati
cornua monstri
IV, 2, 27 : Matinæ more modoque
IV, 3, 16 : minus mordeor
37 : majus meliusve (majora et meliora Cic. sen. VI, 17.)
IV, 5, 46 : magni memor
IV, 14, 24 : mittere equum medios per ignes.
I, 7, 19 : Molli Plance mero
I, 38, 6 : ministrum dedecet myrtus
III, 7, 12 : mille vafer modis

N. III, 6, 47 : nos nequiores
III, 28, 16 : nox quoque nenia (1)

III, 16, 17 : pecuni*am* *Ma*jorumque fames 20 vertic*em* *M*æcenas.
III, 6, 41 : monti*um* *Mu*taret
III, 11, 17 : cent*um* *Mu*niant
III, 19, 5 : cadu*m* *M*ercemur; 11 : nove*m* *M*iscentu*r*
IV, 12, 26 : igniu*m* *M*isce.
Et sæpius.

(1) Nota alliterationem initio syllaborum :
I, 28, 15 : om*nes* u*na* ma*ne*t *no*x
III, 1, 16 : om*ne* capax movet ur*na* *no*men

I, 2, 35 : *ne*glectum genus et *ne*potes
II, 8, 22 : *nup*er Virgines *nup*tæ
IV, 4, 73 : *no*stri *no*minis.

P. Huius literæ frequentissima (1) non gratissima est repetitio.

I, 1, 18 : pauperiem pati cf. III, 2 et IV, 9, 49 ubi idem recurrit (2).
2, 7 : Proteus pecus 50 Pater atque Princeps.
I, 4, 13 : cf. p. 107.
7, 30 : pejoraque passi
8, 4 : cam*p*um patiens pulveris 12, 38 : Prodigum Paulum superante Pœno.
18, 16 : prodiga pér | lucidior
19, 14 : Pueri ponite
28, 6 : Percurisse polum
34, 7 : Plerumque | per purum
35, 13 : pede proruas
II, 1, 6 : Periculosæ plenum
10, 14 : præparatum Pectus
12, 3 : Pœno purpureum
13, 37 : Prometheus et Pelopis parens.
III, 2, 32 : pede Pœna
3, 27 : Perjura pugnaces

Cf. Nauck. ad II, 17, 4 : In *grande decus* ist die beliebte Complosio syllabarum zu beachten, wie in om*ne ne*fas ani*mo mo*ventes. III, 4, 68.

(1) Frequentissima est non quod Horatius huius literæ satis duræ repetitione delectatus sit, sed quia decima pars omnium vocabulorum Latinæ linguæ ab hac litera incipit.

Cf. Ovid. Met. I, 363 : O utinam possim populos reparare paternis
Artibus.

(2) I, 1, 18 : Indocilis pauperiem pati
III, 2, 1 : Augustam amice pauperiem pati
IV, 9, 49 : Duramque callet pauperiem pati

40 : Priami Paridisque.
4, 12 : puerum palumbes
6, 20 : patriam populumque

Ad III, 14, 2-3 Nauckius : Die Haüfung des P in petisse, repetit, penates hat die Kritik unschön gefunden und für ein Zeichen der Unechtheit gehalten. Vgl. I, 4, 13. II, 1, 6. III, 20 11. IV, 1, 2. und allenfalls noch Sat. I, 6, 57 : pudor prohibebat plura profari. Cf. I, 21, 14-16 : pestem, populo, principe, Persas, prece.

III, 20, 11-12 : Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
III, 27, 49 : patrios penates
29, 55 : probamque pauperiem
IV, 1, 2 : parce precor precor (p et c.)
2, 7 : profundo Pindarus
4, 27 : paternus in pueros
5, 3 : pollicitus patrum
23 : prole puerperæ
25 : Parthum paveat
6, 35 : pedem meique pollicis ictum
11, 10 : pueris puellæ
C. S. 17 : patrumque prosperes

R. I, 1, 17 : Laudat *r*u*r*a sui; mox *r*eficit *r*ates cf. IV, 8, 32 : e*r*ipiunt æquoribus rates.
I, 2, 25 : *r*uentis Impe*r*i *r*ebus.
37, 7 : Regina dementes ruinas
II, 7, 15 : *r*ursus in bellum *r*esorbens cf. IV, 8, 16
19, : Rhœtum retorsisti
III, 13, 7 : *R*ubro sanguine *r*ivos
IV, 8, 16 : Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ

C. S. 66 :	Remque Romanam.
S. I, 12, 18 :	simile aut secundum
I, 31, 4 :	Sardiniæ segetes
II, 6, 6 :	*S*it meæ *s*edes utinam *s*enectæ
III, 2, 19 :	Nec *s*umit aut ponit secures. ubi Nauckius habet : Nec ponit aut *s*umit *s*ecures, quem verborum ordinem tres Bentleiani Codd. exhibent.
III, 11, 19 :	Spiritus tæter saniesque
» » 39 :	Socerum et scelestas falle sorores
51 :	sepulcro scalpe querelam.
21, 9 :	Socraticis madet Sermonibus
22 :	Segnesque nodum solvere
III, 30, 14 :	Sume superbiam.
T. I, 1, 8 :	Certat tergeminis tollere
6, 13 :	Quis Mar*t*em tunica tectum adamantina
7, 4 :	Thessala Tempe
8, 8 :	Tiberim tangere
21, 9 :	Tempe totidem tollite laudibus
23, 9 :	Te tigris
26, 5 :	Tiridatem terreat.
27, 23 :	Te triformi
30, 3 :	Ture te.
II, 13, 11 :	Te triste
14, 8 :	Tityonque tristi
16, 34 :	tibi tollit
III, 2, 16 :	timidoque tergo
11, 3 :	Tuque testudo
12, 4 :	tibi telas
23, 13 14 :	*tinget* : *te* nihil attin*et* Tentare

27, 17 :	trepidet tumultu
IV, 2, 53 :	Te decem tauri totidemque vaccæ
C. S. 38 :	tenuere turmæ.
V. I, 4, 1 :	Vice veris et Favoni. Nauck. : « die Alliteration verfinnlicht das Zusammenwirken von Frühling und Favonius. »
33, 10 :	Sic Visum Veneri.
II, 9, 22 :	Victis minorem volvere vertices (1).
III, 5, 29 :	vera virtus cf. Epist. I, 1, 17 : Virtutis veræ
III, 24, 44 :	Virtutisque viam
III, 29, 55 :	mea virtute me involvo.
IV, 2, 11 :	verba devolvit.
IV, 4, 7-9 :	*Verni* — *Venti* pa*ven*tem cf. I, 9, 10 : Stra*ve*re *ve*ntos.
IV, 5, 6 :	Instar *v*eris enim *v*ultus ubi tuus
12, 22 :	Velox merce veni.
30, 31 :	Et *vi*tem *vi*duas ducit ad arbores Hinc ad *vi*na *ve*nit

Nauck. : « venit » ist mit « redit » vertauscht worden, weil man *vitem viduas vina venit* übelklingend fand; aber « prole puerpera pœna premit » hat man unangefochten gelassen. Keller et Holder : « redit. »

(1) Nauckius minimæ auctoritatis codices (y Keller Holder) secutus maluit scribere : *vertere vertices* neque facilia intellectu esse dixerim, quæ ad suam sententiam tuendam affert.

« Die Lesart volvere vortices » inquit « wie schön auch an sich, » tönt für den Sinn der Stelle zu gross. (« Vortices habent edd. nonnullæ ante Cruquium). Das gewöhnliche « volvere vertices » ist um die Hälfte passender, ermangelt aber wieder der innern und äusseren Einheit. Dagegen ist eben so treffend als eigenthümlich « vertere vertices ». was sich zwar nur in einer Handschrift findet, aber gerade seiner Vorzüge wegen verworfen werden mochte, wie « arentes arenas III, 4, 31. »

C. S. 5 : versus Virgines.
25 : vosque veraces.

II. Alliterationem geminam et alternantem his inveni locis :

1. Allit. gem.

IV, 12, 23 : pp dd : *p*oculis *P*lena *d*ives ut in *d*omo
III, 24, 59 : pp ff : Cum *p*erjura *p*atris *f*ides
Consortem socium *f*allat
I, 25, 17-18 : pp mm : Læta quod *p*ubes hedera virente
Gaudeat *p*ulla *m*agis atque *m*yrto
II, 1, 1 : mm cc : Motum ex Metello consule civicum.
III, 14, 14 : t mm tt : ego nec *t*umultum
Nec *m*ori per vi*m* *m*etua*m* *t*enente
Cæsare *t*erras.
III, 29, 55 : vv pp : *V*irtute me *involvo* probamque
Pauperiem sine dote quæro.
I, 18, 15 : vv pp v : Et tollens *v*acuum plus nimio gloria *v*erticem
Arcanique fides *p*rodiga *p*erlucidior *v*itro
III, 2, 13 : dd pp mm ppp tt :
*D*ulce et *d*ecorum est *p*ro *p*atria *m*ori :
*M*ors et fugacem *p*ersequitur virum
Nec *p*arcit imbellis juventæ
*P*oplitibus *t*imidoque *t*ergo.

ubi animadvertas velim, quam grate ***dulce et decorum*** initio, ***timidoque tergo*** in fine strophæ inter se opponantur.

2. Allit. alternans *a* παραλλήλως :

mm mp mp III, 29, 57 : Non est *m*eum si *m*ugiat Africis
*M*alus *p*rocellis ad *m*iseras *p*reces Decurrere...
nc nc III, 16, 22 : nil cupientium Nudus castra peto
np np IV, 2, 3 : *N*ititur *p*ennis vitreo daturus
*N*omina *p*onto.
pr pr I, 29, 11 : *P*ronos *r*elabi *p*osse rivos
pt pt III, 18, 16 (1) : pepulisse fossor
ter pede terram. cf. III, 20, 12.
tl tl III, 15, 13-14 : Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam.
vm vm IV, 8, 28 : dignum laude *v*irum *M*usa *v*etat *m*ori.

b. χιαστικῶς :

cp pc IV, 5, 24 : Culpam pœna premit comes
fp pf III, 6, 19 : Hoc *f*onte derivata clades
In patriam populumque *f*luxit.
mp pm IV, 5, 33 : Te *m*ulta *p*rece te *p*ersequitur *m*ero
md dm II, 12, 13 : Me dulces dominæ Musa Licymniæ
pr rp II, 18, 33 : Pauperi recluditur Regumque pueris.
rt tr III, 3, 60 : reparare Trojæ. Trojæ renasces
sd ds III, 1, 17 : ... non *S*iculæ *d*apes
*D*ulcem elaborabunt *s*aporem
pv vp C. S. 70 : *p*reces *v*irorum -- *v*otis *p*uerorum
lt llt III, 17, 8 : Littoribus tenuisse Lirim
Late tyrannus.

Suavissima literarum *s* et *m* repetitio est

(1) Quam alliterationem Nauckius γραφικὴν quidem, sed recentiorum auribus ingratam esse dicit.

II, 6, 5-8 : Tibur Argeo positum colono
*S*it *me*æ sedes utinam *s*enectæ
*S*it *m*odus lasso *m*aris et viarum
*Mi*litiæque.

Cuius strophæ dulcedinem ita imitatur Vossius :

Tibur, das Argeische Hand gegründet,
Sei der Sitz, o Seligkeit! meinem Alter,
Sei das Ziel mir müden des Meers, der weiten
Weg', und des Feldzugs.

III. Alliterationis conspicuis versuum locis dispositæ hos ex multis selegi locos :

1. Initio et in fine versuum :

C. I, 15, 20 : Crines pulvere collines
I, 20, 9 : Cæcubum et prelo domitum Caleno
II, 1, 12 : Cecropia repetes cothurno
II, 11, 15 : Canos odorati capillos
III, 16, 39 : Contracto melius parvo cupidine.
24, 23 : Certo fœdere castitas.

D. II, 12, 20 : Dianæ celebris die
III, 6, 45 : Danmosa quid non imminuit dies.

F. III, 6, 4 : Fœda nigro simulacra fumo.
» 23, 13 : *F*ruges et Cererem ferunt.
IV, 2, 43 : Fortis Augusti reditu forumque

L. II, 17, 18 : Longaque fessum militia latus.
II, 19, 7 : Lætatur eheu parce Liber,
III, 17, 8 : Litoribus tenuisse Lirim

M. I, 1, 14 : Myrtoum pavidus nauta secet mare.
26, 1 : Musis amicus tristitiam et metus
31, 16 : *M*e cichorea levesque *m*alvæ.
37, 19 : Mentemque lymphatam a Mareotico

N. I, 14, 1 : O *na*vis referent in mare te *no*vi
II, 21, 1 : *N*olis longa feræ bella *N*umantiæ

P. IV, 6, 39 : Prosperem frugum celeremque pronos

Q. II, 7, 3 : Quis te redonavit Quiritem.

R. III, 6, 2 : Romane donec templa refeceris
IV, 4, 34 : Rectique cultus pectora roborant.

S. II, 8, 14 : Semper ardentes acuens sagittas

T. III, 3, 60 : Tecta velint reparare Trojæ
III, 4, 43 : Titanas immanemque turmam
45 : Qui *t*erram inertem qui mare *t*emperat.
15, 2 : Tandem nequitiæ fige modum tuæ.
29, 63 : Tutum per Ægeos tumultus.

V. IV, 5, 13 : Votis ominibusque et præcibus vocat.

Initio unius et in fine alterius :

I, 2, 27-28 : *V*irgines sanctæ minus audientem
Carmine *V*estam
23, 3-4 : *M*atrem non sine vano
Aurarum et silvæ *me*tu. cf. III 11, 17-19.
quamvis furiale cent*um*
*Mu*niant angues... saniesque *ma*net
II, 12, 11-12 : *M*æcenas, melius, ductaque per vias
Regum colla *m*inacium.

16, 25-26 : *L*ætus in presens animus quod ultra est
Oderit curare et amara *l*ento...

2. Initio duorum vel plurium versuum

C. I, 20, 2-5 : Cantharis — conditum — cum — care. III, 2, 22 cœlum-cœtus.

III, 17, 13-16 : Compone — cras — curabis — cum.

D. III, 4, 63-64 : Dumeta — Delius

F. II, 12, 15-16 : Fulgentes — fidum.
III, 16, 30-31 : Fulgentem — fertilis — Fallit.
*F*ulgentem imperio *f*ertilis Africæ
*F*allit sorte beatior.

L. III, 14, 25-26 : Lenis — Litium.
IV, 6, 34-35 : Lyncas — Lesbium.
8, 19 : Lucratus — Laudes.

M. IV, 4, 63-65 : Monstrum — Majus — Merses.
III, 61, 21-22 : Motus — Matura.

N. I, 14, 17-18 : Nuper — Nunc.
IV, 13, 13-15 : Nec — Nec — notis

P. II, 12, 23 : Permutare — Plenas.
IV, 6, 10-12 : *P*inus aut im*p*ulsa cupressus Euro
*P*rocidit late *p*osuitque collum in
*P*ulvere Teucro.

S. I, 38, 4-6 : Sera — Simplici — sedulus
II, 8, 14-15 : Simplici — Semper
II, 10, 7 9 : Sordibus — Sobrius — Sævius
II, 10, 17-19 : Summovet — Sic — Suscitat
III, 6, 29-31 : Sed — Surgit — Seu.

T. I, 23, 11-12 : Tandem — Tempestiva.

V. II, 11, 10-11 : Vernis — Voltu. cf. IV, 4, 7-9 :
Verni — Venti.

3. In fine versuum.

C. II, 20, 15 : Canorus — campos.
C. S. 6-8 : Castos — colles — carmen.

F. IV, 4, 3-4 : fidelem — flavo.

L. II, 14, 19-20 : longi — laboris. II, 13, 39-40 :
leones — lyncas
II, 15, 2-4 : ... undique *l*atius
Extenta visentur *L*ucrino
Stagna *l*acu.
III, 29, 58-61 : preces — pacisci — merces — mari.

M. II, 7, 11-12 : minaces — mento.
II, 12, 2-7 : mare — mollibus — modis — mero
manu. cf. I, 16, 25-26.
III, 23, 15 : marino — myrto.

N. I, 16, 9-10 : noricus — naufragum
11-12 : tremendo — tumultu.

P. II, 20, 19-20 : peritus — potor
IV, 9, 23-24 : pro pudicis — puerisque primus.

S. IV, 7, 16-18 : sumus — summæ — superi

T. III, 14, 14-16 : tumultum — tenente — terras. cf.
I, 16, 11-12 : *t*remendo *t*umultu ; III, 27, 17 :
*t*repide*t* tumultu
III, 29, 63 : *T*utum... tumultu.

V. I, 18, 15-16 : verticem — vitro
III, 5, 43 : virilem — voltum

4. In pluribus simul locis conspicuis repetitur eadem litera :

II, 8, 6-8 : Perfidum Pulchrior — prodis — publica.
13, 3-4 : Produxit, arbos, in ne*p*otum
Perniciem opprobriumque pagi.

II, 1, 37-40 : Sed ne relictis, *M*usa procax, jocis
Ceæ retractes *m*unera neniæ :
*M*ecum Dionæo sub antro
Quære *m*odos leviore plectro
III, 11, 1-2 : *M*ercuri, nam te docilis *m*agistro
*M*ovit Amphion lapides canendo.
II, 20, 17-20 : *M*e Colchus et qui dissimulat *m*etum
*M*arsæ cohortis Dacus et ultimi
Noscent Geloni, *m*e *p*eritus
Discet Hiber Rhodanique *p*otor.
III, 23, 17-20 : *Im*munis aram si tetigit *m*anus
Non sumptuosa blandior hostia
*M*ollivit aversos *p*enates
Farre *p*io et saliente *m*ica.
II. 4, 10 : Barbaræ postquam cecidere *t*urmæ
*T*hessalo victore et ademptus Hector
*T*radidit fessis leviora *t*olli
Pergama Grais.

5. Notanda alliteratio vocabulorum trajectione disjunctorum, quæ majorem vim habere solet ut :

II, 6, 11 : *r*egnata petam Laconi
*R*ura Phalanto
» » 15-16 : *viridique* certat
Baca *Venafro*.
I, 15, 6 : Quam *m*ulto repetet Græcia *m*ilite.

Cf. III, 5, 43. IV, 4, 7-9; alia quæ jam supra passim commemoravi.

CAPUT ALTERUM.

De Assonantia.

Assonantia vocatur eiusdem literæ *vocalis* (1) vel ***plurium*** vocalium initio vocabulorum vel continuorum vel paucis interjectis sejunctorum repetitio ut :

I, 1, 12 : Agros Attalicis, I, 4, 8 : ardens urit officinas.

Cuius figuræ auribus jucundissimæ hæc potissimum apud Horatium genera esse videntur.

I. Eiusdem vocalis vel continua, vel conjuncta, vel uno vocabulo sejuncta iteratio, cuius hæc collegi exempla :

A. I, 1, 12 : Agros Attalicis ; 2, 21 : Audiet cives acuisse.
I, 2, 32 : Amictus Augur Apollo
I, 7, 24 : Affatus amicos
» » 23-29 : Apollo — Ambiguam.
14, 5-6 : Africo — Antennæque
25, 3 : adimunt, amatque 28, 9 : arcanis Minos admissus
9 : anus arrogantes 31, 8 : aqua taciturnus amnis.
II, 1, 24 : atrocem animum II, 2, 15 : aquosus albo corpore languor (2).

(1) Haud ignoro de alliterationis et assonantiæ notione non constare inter viros doctos Alii, ut Cadenbach, assonantiam alliterationis partem, alii contra alliterationem assonantiæ partem dicunt, ut Lachmannus in « Ersch und Gruber Real Encyclop. III, pag. 166 : Alliteration nennt man die Art von Assonanz Plerosque tamen secutus esse mihi videor.

(2) Inest in his vocibus simul ea quam vocant assonantiam Hispanam, quæ fit pluribus vocalibus eodem ordine recurrentibus ut :

5, 15 : apponet annos
18, 5 : Africa neque Attali cf. v. 37 Tantalam atque Tantali
III, 3, 10 : arces attigit.
» 4, 31 : arentes arenas (1).

III, 5, 3 Augustus adjectis III, 10, 19 : aut aquæ, cf. III, 20, 15 : aut aquosus.

III, 11, 7 (obstinatas) Applicet aures
C. S. 71, 72 : amicas Applicat aures
III, 14, 25, : albescens animos
16, 11, 12 : auguris Argivi
29, 61 : Addant avaro.
IV, 4, 41 : alma visit adorea
IV, 7, 7 : annus et almum
15, 31 : Anchisen et almæ
C. S. 59 : Audet apparetque.

E. I, 8, 6 : inter *æqu*ales *equ*itat
34, 8 : egit equos
35, 31 : Examen Eois
37, 23 : Expavit ensem
II, 9, 24 : Exiguis equitare

ao : aquosus albo languor
apponet annos
aoe : I, 9, 15 : appone — amores.
aio : IV, 7, 19 : amico - animo
oiu : II, 3, 25 26 : cogimur, omnium — ocius.
» 10, 7-9 : sobrius — sordibus — sævius... ubi animadverte alliterationem cum assonantia et ὁμοιοτελεύτῳ conjunctam

(1) Keller Holder : urentis harenas. Sed « arentes » in bonis Codd. Nauckius : « nicht *urentes* : jenes ist eine stehende Verbindung und wenn auch dem Gefühl so mancher Neueren widerstrebend, so wenig zu beanstanden als trepidi tremerent Æn. III, 6, 27., ira irritata deorum Æn IV, 178 und oben II, 9, 22, vertere vertices. Der « dürre Sand » auch bei Freiligrath.

J. I, 7, 28 : ingens iterabimus æquor
12, 47 : inter ignes
15, 36 : Ignis Iliacas (1)
27, 16 : Ignibus ingenuoque.
II, 1, 7 : incedis per ignes
III, 1, 15 : insignes et imos
3, 31 : iras et invisum
9, 22-23 : improbo Iracundior
20, 6 : Ibit insignem

O. I, 1, 16 : otium et oppidi
I, 12, 55 : orientis oræ.
15, 3 : obruit otio
II, 15, 7 : olivetis odorem.

U. I, 16, 18 : urbibus ultimæ.

II. Plurium vocalium initio vocabulorum se excipientium series, ut :

I, 2, 47-48 : iniquum Ocior aura
» 4, 8 : ardens urit officinas
7, 15 : albus ut obscuro
31, 6 : armenta, non aurum aut ebur Indicum.
II, 2, 23 : ingentes oculo irretorto Spectat acervos
II, 6, 4 : *Æ*stuat *u*nda
cf. » 7, 16 : *U*nda fretis tulit *æs*tuosis.

(1) Dillb. : « Alii *Pergameas* cum Oudendorpio ex paucis MSS., alii conjecerunt *Dardanidas* alii *barbaricas* ad vitandam basim trochaicam, quam Horatius hoc uno loco ex græca consuetudine et ante græcum vocabulum admisit.
Keller et Holder : Pergameas . Glaceanus se hanc lectionem e codd. hausisse affirmat.

III, 3, 10 : Enisus arces attigit igneas.
IV, 2, 23-24 : Aureos educit in astra nigroque Invidet Orco.
aiia I, 2, 42 : Ales in terris imitaris almæ
aaii II, 1, 25-26 : Amicior — Afris inulta cesserat impotens.
iaai III, 7, 21-22 : Icari — Voces audit adhuc integer.
ii — aa — ii I, 15, 33-36 : Iracundo — Ilio ; Achillei — Achaicus; Ignis Iliacas.

III. Eiusdem vocalis iteratio locis conspicuis disposita.

1, Initio et in fine versus, ut
I, 2, 42 : Ales in terris imitaris almæ
9, 15 : Appone nec dulces amores
15, 19 : Ajacem tamen heu serus adulteros.
22, 18 : *A*rbor *æ*stiva recreatur *a*ura
31, 14 : *A*nno revisens *æ*quor *A*tlanticum.
II, 16, 29 : Abstulit clarum cita mors Achillem
35 : Apta quadrigis equa, te bis Afro.
III, 2, 20 : Arbitrio popularis auræ
4, 10 : Altricis extra limen Apuliæ
5, 19 : Affixa delubris et arma
III, 5, 25 : *A*uro repensus scilicet *a*crior
C. S. 61 : Augur et fulgente decorus arcu.
I, 3, 28 : Ignem fraude mala gentibus intulit
15, 33 : Iracunda diem proferet Ilio
27, 6 : Immane quantum discrepat! Impium.
IV, 3, 3 : Illum non labor Isthmius.
III, 5, 48 : Egregius properaret exsul.

2. In fine versuum.

I, 5, 9-11 : aurea — amabilem — auræ.
15, 34-35 : Achillei — Achaicus
16, 7-8 : acuta — æra
II, 19, 3-4 : aures — acutas
III, 27, 18 : ater — albus
III, 23, 7-9 : alumni — anno — algido
III, 4, 51 : opaco — Olympo
ut IV, 7, 19 : amico — animo
IV, 11, 34-35 : amanda — atræ.

IV. Varie denique dispositam assonantiam habes :

I, 37, 25 27 : Ausa — aspera — atrum.
II, 10, 20 sq. : neque semper *a*rcum Tendit *A*pollo Rebus *a*ngustis *a*nimosus atque Fortis *a*ppare
II, 13, 34-36 : atras — Aures — angues.
II, 20, 9-10 : asperæ — album — alitem.
III, 1, 30 : arbore — aquas — agros.
5, 43 : amicum — agens abeunte.
17, 12-13 : aquæ — augur — annosa — aridum,
III, 18, 1-5 : amator — aprica — abeasque — æquus alumnis — anno.
IV, 11, 6-8 : argento — ara — avet — agno.
25-26 : ambustus — avaras — ales.
C. S. 61-64 : Augur — arcu — acceptusque — arte — artus.
II, 3, 24-26 : Orci — omnes — omnium — ocius.
II, 8, 1-4 : Una — unquam — uno — ungui

Hic quoque ut pag. 122 notanda sunt vocabula trajectione disjuncta ut :

I, 7, 9 : Aptum — Argos

II, 9, 13-14 : amabilem — Antilochum; alia plura quæ jam supra commemoravi.

CAPUT TERTIUM.

De alliteratione cum assonantia conjuncta.

Haud raro poeta utramque figuram aut continenter aut paucis interjectis vocabulis gratissime conjunxit, cuius rei hæc selegi exempla :

aa cc	C. S. 59-60	: Audet apparetque beata pleno Copia cornu.
aa pp	III, 3, 1-2	: Augustam amice pauperiem pati
a p		Robustus *a*cri militia *p*uer
ar ar	III, 5, 25-26	: *Auro r*epensus scilicet *a*crior Miles *r*edibit
ap pa	III, 6, 46	: *Æ*tas *p*arentum *p*ejor *a*vis tulit
at ta	I, 23, 9	: *A*tqui non ego *te t*igris ut *a*spera
ca ca c	II, 19, 29-31	: Te vidit insons *C*erberus *a*ureo *C*ornu decorum leniter *a*tterens *C*audam
ca ac	II, 1, 23-24	: Et *c*uncta terrarum subacta Præter *a*trocem *a*nimum *C*atonis
fi if	III, 3, 7-8	: Si *f*ractus *i*llabatur orbis *I*mpavidum *f*erient ruinæ.

it it	III, 4, 42-43	: ... impios Titanas immanemque turmam.
la al	III, 14, 25-26	: Lenit albescens animos capillus Litium...
mm aa	III, 5, 9-10	: Sub rege Medo Marsus et Apulus Anciliorum (oblitus)
	IV, 11, 19-20	: ... Mæcenas meos adfluentes Ordinat annos
mm oo	I, 1, 16	: Mercator metuens otium et oppidi
mae ma ma	III, 10, 17-18	: ... nec rigida *m*ollior *ae*sculo Nec *M*auris *a*nimum *m*itior *a*nguibus
ma ma cc	IV, 11, 34	: condisce *m*odos, *a*manda Voce quos reddas; *m*inuentur *a*træ Carmine curæ.
ma am	III, 29, 60-61	: *me*rces Addans avaro divitias *ma*ri
os so	III, 27, 11-12	: *Os*cinem corvum prece *sus*citabo *S*olis ab *o*rtu.
ra ar	I, 16, 27	: Fias *re*cantatis amica Opprobriis *a*nimumque *red*das.
ss oo	I, 12, 54	: sive subjectos orientis oræ Seras et Indos.
sa as cc	II, 8, 15-16	: *S*emper *a*rdentes *a*cuens *sa*gittas *C*ote *c*ruenta.

sip sip	II, 19, 26-28 :	... non *s*at *id*oneus
		Pugnæ ferebaris *s*ed *id*em
		Pacis eras mediusque belli.
ti it	I, 10, 15 :	*Th*essalosque *i*gnes et *i*niqua *T*rojæ
		Castra fefellit.
um mu	III, 6, 41 :	Sol *u*bi *m*ontium
		*M*utaret *u*mbras.

CAPUT TERTIUM.

De figura quæ appellatur ὁμοιοκατάληκτον vel ὁμοιοτέλευτον.

Ὁμοιοκατάληκτον vel ὁμοιοτέλευτον (similiter desinens) appellatur duorum vel plurium vocabulorum in eandem vel literam vel syllabam exeuntium conjunctio; nomina quæ eandem πτῶσιν habent, appellantur ὁμοιόπτωτα (similiter cadentia ut *siccis oculis*; similiter verba, quæ eundem exitum habent ut *fregi — sensi*. Omnia ὁμοιόπτωτα sunt igitur ὁμοιοτέλευτα, sed non omnia ὁμοιοτέλευτα sunt ὁμοιόπτωτα ; ut I, 1, 18-19 :

Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici...

indocilis-veteris; pati-Massici sunt ὁμοιοτέλευτα, non ὁμοιόπτωτα.

Huius figuræ quam frequens sit et varius apud Horatium usus jam ex iis patet, quæ de Trajectione supra disputavimus. Quibus hæc habeo quæ addam :

1. Notandi sunt genitivi plur.

II, 9, 17 :	Desine mollium

	Tandem querelarum.
II, 17 3-4 :	*M*æcenas *m*earum
	Gran*de* *dec*us *c*olumenque rerum
29-30 :	Mercurialium
	Custos virorum.
II, 20, 5 :	pauperum
	Sanguis parentum
IV, 1, 4-5 :	Desine dulcium
	Mater sæva cupidinum
IV, 11, 21-22 :	age jam meorum
	Finis amorum
III, 4, 69 :	Testis mearum centimanus Gyas
	Sententiarum.

2. Attributa cum suis substantivis ita sæpe conjuncta sunt, ut vim verborum sono et accentu γραφικῶς exprimere videantur, ut :

I, 1, 24 :	Et lituó tubaé *Permixtús sonitús*
I, 3, 2 :	Et fratres Helenæ *lucida sidera*
III, 1, 40 :	Post equitém sedet *atra cura*

Nonne « permixtús sonitús » aures perstringit, « lucida sidera » delectant, « atra cura » velut horrore afficit? Eadem vocabula egregio consilio disjuncta vides :

II, 3, 16 :	minuentur atræ
	Carmine curæ
III, 14, 13 :	Hic dies vere mihi festus atras
	Eximet curas.
cf. III, 6, 48 :	Progeniem vitiosiorem
IV, 13, 28 :	Dilapsam in cinerem facem.

Weit entfernt in *Cinerem facem* eine κακοφωνία zu finden, finden wir vielmehr diesen Schluss höchst bezeichnend. Nauck.

Keller et Holder : cineres.

3. Ὁμοιοτέλευτα in *is* memoratu digna hæc esse videntur :

I, 2, 1-2 : Jam sa*tis* ter*ris* ni*vis* atque diræ
Grandi*nis mis*it pater

Ad quem locum Nauckius : « Die Wiederholung des *is* ist ganz geeignet, den unablässigen, unabsehbaren Zorn des Himmels der Vorstellung näher zu bringen. Vgl. ἐν δίνῃσι βαθείῃσι μεγάλῃσιν Il. 21, 239. » Quod si cui probetur, nescio an subtilius quam verius moneat G. J. Vossius : i convenit quibusve rebus exilibus; itaque pluviæ penetrationem egregie exprimit (cf. Cadenb. p. 20). Equidem Tibullum non minus γραφικῶς pluviæ susurrum ac strepitum his pinxisse versibus putaverim :

I, 1, 47 : Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster
Securum *s*omnos imbre juvante *s*equi

cf. I, 2, 13-15 : Vidimus flavum Tiberim retor*tis*
Litore Etrusco violenter un*dis*
Ire dejectum monumenta re*gis*
Templaque Vestæ.

I, 24, 9-10 : Mul*tis* ille bo*nis* flebi*lis* occidit.

Procul dubio IV, 13 illa « fis, vis, ludis, bibis » irridendi et irritandi vim habent recteque Dillenb. ad h. l. « non satis possumus admirari frequentem acutarum literarum i copiam... cum sibilantibus literis. »

4. Varia sæpenumero ὁμοιοτέλευτα vel gemina vel alternantia jucunda arte conjuncta videmus ut :

I, 2, 6 : ae a a ae : Pyrrhæ nova monstra questæ

I, 31, 5 : ae a ae a : Non æstuosæ grata Calabriæ Armenta

» » 3 : ae ae es es : non opimæ Sardiniæ segetes feraces

» 17, 27 : em-am am em : Et scindet hærentem coronam
Crinibus immeritamque vestem

I, 12, 9 : os is os is : Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.

III, 6, 4 : ao ao : Foeda nigro simulacra fumo
Fortuna lustro prospera tertio IV, 14, 37 et sæpius.

II, 10, 5 : i us i : a us a : caret obsoleti Sordibus tecti
caret invidenda Sobrius aula.

III, 6, 8 : i a i : ae a ae : Di multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ

IV, 3, 13-15 : um-es-es-um : Romæ principis urbi*um*
Dignatur subol*es* inter amabil*es*
Vat*um* ponere me choros.

II, 3, 13-14 : Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ,
Dum res et ætas et sororum
Fila trium patiuntur atra.

ὁμοιοτέλευτα in extremis versibus collocata :

III, 21, 21-24 : Venus — Gratiæ — lucernæ — Phœbus.
cf. III, 16, 14-15 : æmulos — Reges — Sævos — duces
III, 29, 58-61 : preces — pacisci — merces — mari

4. *Verba* ὁμοιόπτωτα poeta sæpe præclaro consilio aut iisdem aut diversis locis disposuit ut :

I, 9, 5, 7, 9 : *Dissolve, deprome, permitte*, initiis versuum collocata optime algentis amici festinationem indicant. Cf. II, 7, 17. 19, 20 22 : *redde, depone, parce, exple, funde*, quæ depingunt lætitiam clamantis : « Recepto Dulce mihi furere est amico. »

I, 16, 27 : *Fias* recantatis amica
Opprobriis animumque *reddas*
II, 16, 21 : *Scandit* æratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum *relinquit*.

De IV, 13 cf. pag. 132.

I, 18, 12-13 : Invitum quatiam
Sub divum rapiam.
I, 16, 18-19 : *Stravere* et altis urbibus ultimæ
Stetere causæ
II, 4, 5, 7 : *Movit* Ajacem Telamone natum
Arsit Atrides medio in triumpho
IV, 4, 17 : *Videre* Ræti bella sub Alpibus
25 : *Sensere* quid mens, rite quid indoles
(posset)
II, 13, 6 : *Fregisse* cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
I, 1, 11 : *Gaudentem* patrios findere sarculo
Agros...

15 : *Luctantem* Icariis fluctibus Africum...
1 22, 23 : Dulce *ridentem* Lalagen amabo
Dulce *loquentem*, ubi certe anaphora
mire augetur ὁμοιοτελεύτῳ.
II, 9, 11 et 12 : Vespero *Surgente* — *fugiente* Solem
» 14, 11 : Enaviganda 17. Visendus 21. Linquenda (initiis versuum).
» 10, 2 : Semper urgendo — 3. nimium premendo. cf. pag. 60.
III, 29, 52-56 : *Laudo* manentem ; si celeres quatit
Pennas, *resigno* quæ dedit et mea
Virtute me *involvo* probamque
Pauperiem sine dote *quæro*.

Vide, quam jucunda arte verba dissyllaba initio et in fine strophæ, trisyllaba in media stropha collocata sint. Præterea ὁμοιοτέλευτα cum alliteratione conjuncta sunt (mea virtute me involvo probamque pauperiem) id quod et aliis et his locis factum esse inveni.

II, 7, 5 : Pompei meo*rum* prime sodal*ium*
II, 20, 5 : Non ego *pauperum* sanguis *parentum*
III, 11, 31 : potuere duro
perdere ferro
» 29, 47 : Di*ff*ing*et* in*f*ectumque redd*et*
IV, 11, 34 : Condisce *m*odos *a*manda
Voce quos reddas, *m*inuentur *a*træ
*C*armine *c*uræ.

ubi ὁμοιοτέλευτα cum alliteratione et assonantia conjuncta non minorem auribus dulcedinem parare videntur ac Schilleri : Es schwinden jedes Kummers Falten
So lang des Liedes Zauber walten.

Musicæ artis cum poetica conjunctæ hæc præterea audiamus « verba socianda chordis : »

I, 16, 24-28 :

Fervor et in celeres iambos
Misit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

Nota : Fervor-furentem; misit, mitibus, mutare, mihi in extremis versibus collocata; fias-reddas; amica-animum.

III, 4, 5 :

Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ.

III, 6, 45-48 :

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

III, 2, 9-12 :

et adulta virgo
Suspiret, eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.

Admirabili plane arte collocata esse :

Suspiret — sponsus; lacessat — leonem; rudis agminum — regius asperum; cruenta — ira — cædes quis est qui non sentiat?

Legas etiam velim III, 29, 53-64 :

Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Non est meum, si mugiat Africis.
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces

Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

Ubi alliteratio, assonantia et ὁμοιοτέλευτα mire numerosum metri rhythmum adjuvant.

Jam vero ἁρμονίας μιμητικῆς exempla aliquos audias velim In scenam missos cum magno pondere versus :

I, 16, 11-12 : ... nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu

III, 27, 23 : ... fremitum et trementes
Verbere ripas...

II, 1, 17-20 : Jam nunc minaci murmure cornuum
Per*str*ingis aures, jam litui *str*epunt
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque voltus.

Cf. Verg. Aen. I, 124 : Interea magno misceri murmure pontum.

CAPUT QUARTUM.

De vocabulis in fine versuum fractis vel elisis.

Sapphonis exemplum secutus Horatius tribus locis in fine versus Sapphici enneasyllabi ultimum vocabulum ita fregit, ut partem in sequentem versum trajiceret.

I, 2, 19 : Labitur ripa Jove non probante u-
xorius amnis

« Dass der u-xorius amnis (gleichsam aus den Ufern des Metrums tretend) in den andern Vers hinübergeht, ist vielleicht nicht zufällig; wenigtens ist es sehr malerisch. Dasselbe gilt von der Wortbrechung :

I, 25, 11 : Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

II, 16, 7 : Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale neque auro.

« Die Wortbrechung scheint auch hier eine überströmende Fülle zu versinnlichen. » Nauck.

Ultima verba in fine versuum alcaicorum hendecasyllaborum elisa sunt :

II, 2, 18 : Dissidens plebi numero beator(um)
Eximet virtus

II, 16, 34 : Mugiunt vaccæ, tibi tollit hinnit(um)
Apta quadrigis equa.

IV, 2, 22 et 23 : Plorat et vires animumque moresqu(e)
Aureos educit in astra nigroqu(e)
Invidet Orro.

C. S. 17 : Romulæ genti date remque prolemqu(e)
et decus omne

In fine Alc. enneasyllabi II, 3, 27 :

Sors exitura et nos in ætern(um)
Exsilium impositura cumbæ.

Ubi duplex elisio γραφικωτάτη esse videtur ad mortis vim invitos trahentis significandam.

III, 29, 35 : Cum pace delabentis Etrusc(um)
In mare.

CAPUT QUINTUM.

De verbis monosyllabis et polysyllabis.

1. Monosyllaba ictu prædita, quæ post cæsuram vel diæresim finem sententiæ prioris excipiunt, jam pag. 27 commemoravi. Hoc loco pauca addam de monosyllabis in fine versuum positis, quæ si elisione facta cum voce quæ præcedit quasi coalescunt ut *et*, cf. pag. 26, *est* (I, 3, 37; II, 16, 25; III, 25, 18; IV, 3, 21 et 24) (1) *in* (I, 21, 14; 35, 39; III, 8, 3; IV, 6, 11) *hic* (I, 19, 13) consuetum metri motum vix interrumpere videntur; si vero sine elisione ita ponuntur, ut nova cæsura vel diæresis in fine versus oriatur, vix stupori vel risui movendo apta esse negaveris. Cuius rei hæc collegi exempla :

I, 28, 15 :... Sed omnes una manét|*nox* (2)

(1) « Est » *initio* quoque versuum vel stropharum non sine vi ponitur ut :

IV, 11, 1 sq. : *Est* mihi nonum superantis annum (ter repetitum).
III, 2, 25 : *Est* es fideli tuta silentio.
Cf. IV, 9, 34 : Obliviones. *Est* animus tibi...

ubi concursus polysyllabi cum monosyllabo sententiæ vim indicare atque augere videtur.

(2) Cf. Ovid. Met. XV, 31 :

Et caput extulerat densissima sidereum | Nox.

31 : Postmodo te natis fraudem committere? *fors et...*
IV, 7, 11 : Pomifer Auctumnus fruges effuderit, *ét mox*
III, 14, 1 : Herculis ritu modu dictus ‖ *o plebs,*

ubi « o plebs » nimis lepide cum nomine *Herculis* initio carminis posito pugnare videtur, quam ut « Spiritum Grajæ tenuem Camenæ » a cavillandi « malignum vulgus » consilio alienum fuisse putaverim (1).

IV, 2, 46 : Vocis accedet bona pars et O sol Pulcher...

Monosyllabum in media sententia positum minus aures offendit, quamquam aptissimo loco post tria monosyllaba positum esse nemo affirmaverit.

Cf. IV, 7, 23 non te (in media sent. repetitum) IV, 11, 18 *quod ex hac.* IV, 13, 1 *di*; IV, 9, 1 *quæ*; IV, 1, 33 *cur*; I, 25, 6 *jam*; IV, 6, 17 *heu;* II, 7, 19 *nec;* I, 14, 3 : *ut* cf. pag. 26.

2. Venio ad polysyllaba, quæ in aures legentium fortius sonantia habent nescio quid gravissimæ ἐνεργείας ut hæc doceant exempla :

a. Initio versus *Asclepiadei* vocabula *quatuor* syllabarum, alcaici *quinque* syllabarum magna sæpe cum vi posita sunt ut :

bellaque matribus
I, 1, 25 : *Detestata* | Manét...
3, 4 : *Iracunda* Jovem ponere fulmina.
15, 33 : Iracunda diem proferet Ilio

(1) Mihi quidem nescio quomodo in mentem venit Vergilianus ille *exiguus mus* vel Horatianus *ridiculus mus* Verg. Georg. I, 181. Hor. A. P. 139.

5, 13 : *Intentata* nites
18, 12 : *Debellata* | monét cf. I, 1, 25.
24, 7 : *Incorrupta* Fides
33, 15 : *Libertina* |
III, 16, 37 : *Importuna* tamen pauperies abest.
IV, 13, 9 : *Importunus* enim transvolat aridas
24, 12 : *Immetata* quibus jugera...
51 : *Eradenda* cupidinis Prava sunt elementa.
I, 9, 11 : *Deprœliantes* (ventos)
17, 26 : *Incontinentes* injiciat manus.
III, 4, 77 : *Incontinentis* nec Tityi jecur Relinquit ales
I, 34, 2 : *Insanientis* dum sapientiæ...
III, 4, 30 : *Insanientem* navita Bosporum Tentabo
I, 35, 13 : *Injurioso* ne pede proruas.
37, 9 : *Contaminato* cum grege turpium.
29 : *Deliberata* morte ferocior
II, 1, 6 : *Periculosæ* plenum opus aleæ.
II, 5, 9 : Prægestientis. ‖
7, 21 : *Oblivioso* levia Massico Ciboria exple.
14, 11 : *Enaviganda*
17, 13 : *Formidolosus*
III, 1, 25 : *Desiderantem* quod satis est neque *Tumultuosum* sollicitat mare
37 : (dominusque terræ) *Fastidiosus*
III, 29, 9 : *Fastidiosam* desere copiam
2, 18 : *Intaminatis* fulget honoribus
4, 70 : *Sententiarum.*
5, 10 : *Anciliorum* (oblitus)
14 : *Dissentientis* (Reguli) (1)

(1) *Dissentientis conditionibus Fœdis.* Post duo vocabula 5 syllabarum breve illud *Fœdis* in fine sent., initio versus oppositum, mire indicia magnum Reguli animum prava spernentem.

54 : *Dijudicata* lite
30 : *Caliginosa* nocte premit deus.
IV, 9, 34 : *Obliviones.*

b. In medio versu polysyllaba arte et consilio posita his locis inveni :

I, 27, 19 : Quanta *laborabas* Charybdi cf. III, 1, 19.
I, 27, 15 : Non *erubescendis* aduret Ignibus.
II, 1, 35 : Non *decoloravere* cædes.
III, 1, 19 : (non siculæ dapes) Dulcem *elaborabunt* saporem.
III, 2, 31 : Raro *antecedentem* (1) scelestum — Deseruít pede pœna claudo.
III, 4, 5 : Ludo *fatigatumque* somno.

c. In fine denique versuum, stropharum carminum polysyllaba posita sunt :

I, 14, 8 : *imperiosius* — Æquor.
III, 24, 53 : Mentes *asperioribus* Formandæ studiis

In fine strophæ Sapphicæ :

I, 12, 40 : Fabriciumque
I, 30, 8 : Mercuriusque
II, 6, 8 : militiæque
IV, 9, 28 : Bellerophontem.

In fine strophæ Alcaicæ vocabula quatuor syllaborum :

II, 7, 16 : Unda fretis tulit *æstuosis.*
20 : Parce cadis tibi *destinatis*
II, 13, 4 : In domini caput *immerentis*

(1) Nonne versus ipse 31. claudicare tibi videtur ut scelestus ægre et anxie fugiens, nonne illud : « Deseruit pede » subito irruit ut pœna Jovis? cf. III, 1, 40 : Post equitém sedet atra cura.

III, 6, 8 : Hesperiæ mala *luctuosæ*
IV, 4, 72 : nostri Nominis Hadrubale *interempto.*

In fine carminum :

I, 36 : *ambitiosior*
III, 1 : Divitias *operosiores*
III, 6 : progeniem *vitiosiorem.*
III, 26 : Tange Chlœn semel *arrogantem.*

Reliquum est, ut in fine opusculi mei iis respondeam, qui forte quæsiverint, utrum ordinem et ornementa verborum, quæ exposui, consilio et data opera elaborata an casu potius nata esse putandum sit. Affirmare igitur non dubitaverim, in carminibus, quæ certe multum abest, ut :

operæ celeris nimium curaque carentis
Premantur crimine

multa inveniri, quæ de industria et summa adhibita diligentia ad aurium delectationem quæsita et collocata esse nemo sanus negaverit. Quodsi quis, ut unum afferam exemplum, in carmine III, 2, 9-16 (cf. pag. 136 et 116) vocum suavitatem mirumque ordinem casu nata esse existimaverit, ἔα χαίρειν αὐτόν. Quamquam tantum abest, ut omnia dicendi artificia, imprimis ea, quæ ad sonum et numerum verborum pertinent, consulto et operose conquisita esse putem, ut multa, quibus legentes et audientes delectamur, non solum non quærente sed ne animum quidem advertente poeta quasi

sponte ex fontibus ingenii « Vatis Horati » profluxisse dixerim. An vero venustas ill αὐτοφυής, non arte quæsita minus est jucunda vel minorem animo auribusque oblectationem parat?

Contenti simus, Horatium eum esse, qui « nil moliatur inepte » neque erravisse dicentem :

« Digitis callemus et aure. »

Hæc addas velim et corrigas :

pag. 40 cf pronomina transposita :
I, 9, 16 : neque tu choreas (sperne)
III, 10, 13 : O quamvis neque te munera nec preces

pag. 57. adde ὀξύμωρον *facili sævitia* II, 12, 26. mit artiger Grausamkeit.

pag. 69, n° 2, corrige : ABab

» 81 adde : IV, 1, 12 : Si torrere jecur quæris idoneum. Die auch hier proponirte Doppelconstruction, naeh welcher *torrere* sowohl von *quæris* als auch von *idoneum* abhangen soll, ist überall eine Missgeburt. Nauck.

pag. 107 l. 13 corrige : mddm

